~~Hist. povosk.~~

~~181, 182, 183,~~

~~184, 185, 186.~~



Rudimenta historica

Ex Libris
D. Dalczski

Rudimenta historica
[illegible]
Calissii S. J.
1744.

RUDIMENTA
HISTORICA
SIVE
Brevis, facilisque Methodus
Juventutem Orthodoxam notitiâ
Historicâ imbuendi,
Pro
Gymnasiis Societatis JESU:
AUTHORE
Ejusdem Societatis Sacerdote.

OPUSCULUM
SEXTUM,
Descriptio Germaniæ & Continuatio
MONARCHIÆ ROMANÆ.
Cum Facultate Superiorum
Juxtà Exemplar Vratisl: & Brunsbergẽse
cum auctuario.



CALISSII,

Typis S.R.M. Coll: *Soc: JESU.* A. Domini 1746



PRÆFATIO.

HOc quoquè Opuſculum, perinde ac priora quinquè nonniſi orthodoxæ Juventutis, quam in Gymnaſiis noſtris inſtituendam ſuſcepimus, commodo atquè utilitati dicatum eſt, quo Romanorum Imperatores Chriſtianos ſummatim percenſemus; quosdam etiam, idoneorum Scriptorum exemplo, omnino prætermittimus. Quæ verò Hiſtorici, à Fide, ac veritate Catholica alieni adversùs Chriſti Eccleſiam, Romanoſquè Pontifices ſuis pàſſim narrationibus falsò & contumeliosè ſolent inſpergere, vel conſultò diſſimulavimus, vel ſtrictim duntaxat attigimus, pleniore rerum hujuſmodi controverſarum pertractatione ac refutatione Academiis relicta. Addita inſuper eſt ſeu potiùs, præmiſſa ad initium opuſculi iſtius (quod Auctuari, vices ſubit præcedentium Quinquè Opuſculorum) Deſcriptio imprimis hiſtorica Imperii Romano Germanici, tribus Capitibus prioribûs expoſita tum deinde proponitur quarto Capite Geographica explanatio Circulorum Imperii. Subſequitur demum partitio hujus Opuuſculi quæ Chriſtianos Imperatores à Conſtantino Magno ad Franciſcum Primum hodie Glorioſiſſime Imperantem, recenſet.

CAPUT I.

De veteri Germania.

§. 1.

De situ veteris Germaniæ, ejusq; partibus potioribus.

1. *Quæ veteris erat Germaniæ facies?*

QUantùm quidem ex Historiographis cõpertum est, erat olim Germania regio amplissima; sed hinc sylvis vastissimis, illinc locis palustribus, alibi asperis montiū jugis impedita. Nequè ab horrido, & inculto terræ ingenio abludebant incolarum mores.

2 *Quæ antiquorum Teutonum origo?*

De hac certi nihil ferè constat, idoneorum auctorum defectu. Quippe veteres Germaniæ populi de literis parùm, aut nihil soliciti, nihil admodum ad posterorum memoriam scripto reliquerunt. Cæterùm Tuisconem, & Gigantem, & Nôëmi filium post diluvium in terras has immigrâsse inter fabulas haud immeritò numeratur. Propior veritati est illorum opinio, qui Teutones primos ex Scythia, Dacia, Pannonia profectos fuisse perhibent ex probabili conjectura, quâ existimant, post Babylonicam linguarum confusionem populos in diversa abiîsse non è vestigio, & catervatim, sed sensim pro temporum vicissitudine, & populi magìs in dies magìsquè augescentis multitudine; novas quoquòversum colonias deduxisse.

3 *Qui-*

3. *Quinam veteris Germaniæ limites?*

Hæc Danubio, Rheno, Oceano ſeptemtrionali, & Viſtula flumine concluſa, in quatuor colonias multò frequentiſſimas dividebatur, è quibus Ingævones magnū illum terrarum tractum, qui hodie tria Regna Borealia, Daniam, Norwegiam, & Sveciam complectitur, incoluêre. Iſtævones verò Rheni incolæ Friſiam, Grœningam, Weſtphaliam; Vandali verò Pomeraniam, Saxoniam inferiorem, Marchiam Brandeburgicam, & hodiernæ Poloniæ partem obtinebant. Hermiones denique dimidium ferè harum Regionum poſſidebant per Saxoniam ſuperiorem, Franconiam, Palatinatum, Bohemiam, Bavariam, Sueviam.

4. *Quibus limitibus Noricum, Vindelicia, & Rhætia terminabatur?*

Noricum, à Romanis ità cognominatum, complectebatur dimidiam Boicæ terræ partem trans Oenum, Salisburgenſe nempe territorium, Auſtriam, Styriam, Carinthiam. Vindelicia alteram Bojariæ partem conficiebat, à Danubio ad Alpes uſquè pertingens, & lacum Podamicum. Rhætiæ pars erat Griſonia, Vallis Tellina, Tirolis, atquè illa portio Italiæ, quæ illinc ad uſquè Alpes excurrit.

5. *Quæ celebriores erant Germaniæ Urbes Romanorum temporibus?*

Tametſi veteres Germani perpaucas numerârint urbes, in pagis plerumquè commorari ſoliti; tamen vel ante Romanorum adventum fundatores fuerunt aliquot in Germania urbium

bium. Has inter præcipuæ sunt Treviri, urbs Europæ antiquissima, Colonia, Augusta Vindelicorum, Solodorum &c. Hæ subinde à Romanis ampliatæ, & exornatæ alia nomina acceperunt. Sic Augusta in honorem Cæsaris Augusti Augusta Vindelicorū, Treviri Augusta Trevirorum, & Augusta Rauracorum, inter Basileam & Rhenofeldam pridem diruta, est cognominata. Cæterùm Colonia hodiedum obtinet nomen ab Agrippina Neronis Matre, quæ hic loci nata traditur, vel certè ab Agrippa (ut alii perhibent) Patre ejusdem, forti defensore, & amico veterum Ubiorum. Atquè indè urbi alterum cognomen, quò Colonia Ubiorum dicitur.

6. *Quæ aliæ insuper veteris Germaniæ urbes?*

Juvavia, quasi urbs adjutorii, hodie Salisburgum, à Romanis, ad defendendam circumcirca regionem exædificata erat. Moguntiacum, seu Moguntiam condidisse fertur Drusus, Romani exercitûs Ductor, Augusti privignus. Extant ibidem in monte Jacobeo hodièque rudera tumuli honorarii, ex solido saxo in Drusi honorem excitati. Argentina sive Argentoratum, olim Triboccum, Wormatia, Borbetomagus & Augusta Vangionum, Spira Nemetes, & Noviomagum: Vienna Austriæ, Vindobona, Juliobona, vel Flaviana, Ratisbona, ad Cæsaris Tiberii gloriam posthumam Augusta Tiberia est appellata.

7. *Quibus nominibus vocabantur veteres Germ.*

A Romanis dicebantur Germani, idque, ut

nonnulli existimant, ob fraternam in pace, & bello unitatem, & animorum conjunctionem. Ipsimet sese nominabant *Teutonas*, quàm nomenclaturam ex aliquorum sententia sibi adscivêre à vetustissimo etymo Germanico *Theut*. Sonat hoc ipsum DEUM, quo adeò nomine insinuare volebant, se à DEO (ipsis Theut dicto) originem trahere. Sed & propter virilem prorsus fortitudinem, & animositatem Alemanni, perinde ac *omnes Viri*, gloriosè nominabantur, quanquàm id nominis etiam Suevis separatim tribuatur. Alia porrò nomina certis quibusdam Germaniæ nationibus à Romanis indita, cognosci poterunt ex veterum Geographorum monumentis.

8. *Unde erui possunt veterum Germanorum acta?*

Cùm veteres Germani intermiserint gentis suæ historiam conscribere, necesse erit eandem ab exteris Scriptoribus petere. Ex eo genere sunt Julius Cæsar, Livius, Suetonius, Tacitus, pluresquè alii. Hi de Germanis ea scripsêre, quæ vel propriâ experientiâ hauserant, vel bona fide aliunde acceperant. Id evenire antè non potuit, quàm Romani cum Teutonibus committerentur. Singularis extat liber à Tacito conscriptus, quò toto tractat de moribus Teutonum. Atque ex hoc potissimùm excerptus est proximus paragraphus.

§. 2.

§ 2.
De moribus, & ritibus veterum Germanorum.

1. *Quî se habebat Religio apud veteres Germanos?*

ERant hi idololatræ, atquè ea potissimũ, quæ sub omnium aspectum cadunt, divinis honoribus prosequebãtur, putà: Solem, Lunam, cæterosquè planetas cum lucido ignis elemento. Nequè tamen his Diis suis fana statuebant, rati, nequaquàm conveniens esse, magna Numina ædificiorum angustiis velle concludere. Itaquè iisdem dicabant, vastas & opacas sylvas, & saltus, quos ea propter singulari colebant industria, immolatis ibidem humanis nonnunquàm victimis. Aliqui eorum litabant vel ipsi cacodæmoni, qui ab ipsis Swarte vel Tywel, à vetustissimis autem Latinis Tybelinus vocabatur Hic quidem cultus eò tendebat, ut ne à Tybelino mali quid paterentur. Atq; hæ superstitionis ethnicæ tenebræ durabant usquè ad annum Christi 580. quo magna pars superioris Germaniæ, & nominatim Bojaria Christianæ fidei lumine fuit illustrata. Eadem beata sors obtigit inferiori Germaniæ, operâ S Bonifacii circa annum 720. ut ad Lutheri usquè tempora fidei veritas inconcussa perstiterit.

2. *Quæ indoles, & mores erant veterum Germ.*

Erant animosi, & bellicosi, cui jam indè à pueritia innutriti, venandi studio, & omne genus laboribus durabantur. Unde ipsis præcera

ra, & robusta corporis habitudo par ferendis quibusvis arduis. Libertatis supra ipsam vitam fuerunt amantissimi, cujus conservandæ causâ nullum vitæ periculum reformidabant. Et quamvìs extima eorum facies, gestus minax, & truculentus videretur, tamen insignem animi candorem ab omni fraude, & perfidia alienum, circumferebant. Cæterùm quàm rudes omnium scientiarum erant, tam peritè, & præcipuè tractabant lusum alearum, impendio, & damno non semel omnium suarum facultatum, ut postremùm suasmet personas deponere, ac ludendo perdere non dubitarent. Porrò omne genus superstitionum, & hariolationum mirè æstimabant: amabant prætereà cantilenas simplice rhythmo ligatas, uti & ad flammantem pyram haustum probatæ cerevisiæ, ubi conventus agere consveverant, & de potissimis negotiis consultare, atque concludere.

3. Quæ forma fuit Reipublicæ, atque Regiminis apud priscos Germanos?

Tametsi sat barbara vivendi ratio apud illos videretur, non defuit tamen suæ Reipublicæ certus ordo. Quippe diversis Teutonum regionibus præerant sui reguli, ex flore nobilitatis electi. His tamen nullum jus fuit absque populi suffragio communi aliquid majoris momenti concludendi, & decernendi; sed id tantùm illis incumbebat, ut intellectâ omnium sententiâ plebiscitum fortiter, & graviter exequerentur. Et verò ad hujusmodi publica gen-

tis Comitia comparebat quisquè non nisi armatus, & cuivis vel minimo jus competebat suam sententiam proponendi. Sed & aliis Germaniæ populis regum vice fuerunt ex communitatis gremio denominati Duces, quos Reipublicæ Patres appellitabant. Ad id officii non nisi sagacissimi, & fortissimi quiquè eligebantur. Quem ergo sors ad id dignitatis evexerat, belli tempore ducebat agmen, primus in fronte exercitûs, primus in aggressione hostium. Trāsfugæ perfidiam luebant suspendio: socordes & abjecti nimiopere animi bellatores putri lacuna submergebantur. Delicta alia pro rei gravitate mulctabantur per exactionem pecorum nunc majorem, nunc minorem. Quippe argenteæ, vel aureæ monetæ usus ante Romanorum adventum erat Germanis incognitus, quorum commercia sola rerum commutatio id temporis absolvebat.

4. Quem modum veteres Germani tenebant belli tempore?

Aliqui Germaniæ populi, in primis Suevi, dividebant inter se, Germano sanè candore & fide, militiæ instantis onera. Alternis enim vicibus bellatum ibant, ità quidem, ut pars una expeditioni instaret, altera domi sarta tecta conservaret, non tantùm sua, sed & bellantium foris, & absentium. A primis adeò annis militiæ assuefiebant ex patrio instituto: spectacula proin non alia dabat gens bellicosa, quàm de bellis, quorum studia ipsis in summo pretio. Cæterùm agmen, ad quod alterno ordine expedi-

peditio bellica devolvebatur, secum abducebat & uxores, & proles, eo fine, ut harum præsentia ad certamen fortiùs incitaret. Quin uxores ipsæ in arma ruebant, ubi usus & necessitas poscebat. Eadem de caussa consanguinei cæteri, & necessarii amici interserebant sese aciei, ut nimirum alacrior pugnandi animus adderetur, & unà omne gravius periculum à cognato sanguine præverteretur. Exordium pugnæ fiebat quà cantando, quà incondito clamore. Pugnaturis arma erant præacuti mallei, ponderosæ machæræ, breviores lanceæ, & arcus, seu catapulta. Nequè verò hujus armaturæ splendorem ullum affectabant, sed robur, & pondus ejusdem pensabant. Flagrante prælio stabant densati, ùt corpore, ità animo Germano, ruentes intrepidè in hostes, quibus eapropter plerumquè fuerunt in acie superiores. Atquè ea pugnandi dexteritas vel ipsis Romanis ansam dicendi dedit, ut, qui pugnando infelix vinci vellet, manus committeret cum Germanis.

§ 3.

Synopsis de veterum Germanorum actis.

1. Quas in partes hæc acta commodissimè possunt dividi?

IN sex tribui possunt capita. 1. Notanda veniunt acta Germanorum ante Julii Cæsaris tempora. 2. Acta sub eodem Julio Cæsare.

3. Acta

3. Acta sub Cæsare Augusto. 4. Status Germaniæ sub Ethnicis Imperatoribus à tempore Constantini Magni usq; ad Carolum Magnum. 6. Acta Germanorum à Caroli Magni tēporibus usquè in hodiernum sæculum.

2. Quid ante Julii Cæsaris Imperium de Germania singulare est & memoratu dignum?

Ea quidem tempestate Germani secura pace beati, non temerè se implicabant alienis bellis, sed mapalibus suis contenti, vota sua non ultrà ferebant. Primi omnium, qui extra patriam suam moverunt, fuerunt Cimbri, populus Aquilonaris, idquè integro ante Christum natum sæculo. Quippe cùm maris exundantis æstus illorum peninsulam, hodie Juttlandiam dictam, Daniæ partem, eluvione sepelîsset, compulsi sunt loco cedere, & alias sedes quærere. Quingenta proin millia Cimbrorum patrio solo excesserunt, junctoquè suo cum Germanorum cæterorum copiis agmine infestum Romanorum exercitum non una clade multârunt. Cimbri adeò per Noricum sive per Bojariam, Teutones socii verò per Galliam attentare viam in Italiam ausi sunt, in felicioribus illis terris colonias formaturi.

3. Quem exitum tenuit Germanorum expeditio in Gallia?

Sanè funestum, cùm adverso Marte pugnârint post priores clades Romanis illatas. Cajus Marius enim, Romanus Consul, non procul Aquis Sextiis (Metropolis est provinciæ Gallicæ) propè ad internecionem illos cecidit, cùm

ducenta Germanorum millia desiderarentur, octoginta autem millia captiva ducerentur. Unde factum, ut incolæ longo post tempore accumulatis cæsorum ossibus sua vineta sepimenti loco incingerent, si Brietio quidem credimus In perenne tantæ victoriæ monumentum Marius ibi locorum trophæum ex secto lapide statuit, cujus rudera aliqua superesse dicuntur. Perditâ dicto modo victoriâ, Germanæ fœminæ flagitârunt Romanos, ut Vestalibus virginibus ad obsequia transmitterentur, sed repulsam passæ, unà omnes post mactatas proles suas spontaneam sibimet mortem ferro consciscere non dubitârunt

4. *Qui progressus Cimbrorum in Italia fuerunt?*

Catulus quidem Romanus Ductor, ùt maximè quærebat, illos compescere non valuit, multò minùs superior evasit, ut ipsius exercitus animo caderet, conspectâ maximè audaciâ Cimbrorum. Nam scutis hi suis insidentes, per altissima Alpium juga nivibus tecta, devehi præcipiti lapsu non horrebant. Marius proin suppetias approperavit, qui Cimbrorum aciem ità disjecit. ùt deinceps nec unus illorum conspiceretur.

5. *Quæ sors Germaniæ fuit sub Julio Cæsare?*

Stabilita in Gallia sede; quam in Romanam Provinciam redegerat, paulo post cum Germanis res ipsi esse cœpit. Quippe Ariovistus eorum Rex & belli ductor fæderatos cum Cæsare Heduos (Burgundos) valde infestabat, contemptis omnibus, qui dehortabantur. Itaquè

què Cæsar Ariovistum, qui Rhenum trajecerat, fortiter aggressus, eam Germanorum stragem edidit, ùt ingens spatium ad triginta passuum millia prostratorum cadaveribus obtegeretur. In prælio hoc, quod prope Basileam commissum esse creditur, stabant Germani more suo in arctos cuneos densati, conjunctis supra capita clypeis tecti adversùs Romanorum saxeam grandinem, & missilia tela. Cùm igitur Romani apud ità protectos loricæ in modum Germanos operam perderent, animoso tandem consilio in scutata capitum tegumenta insiliêre, dissolutisquè vi scutis desuper stantes cladem inferebant, ubi dolus tamen & virtus utrinquè suas partes strenuè egerunt, certè non incruentâ Romanis victoriâ, quæ quinquagesimò quintò Annò ante Christi in terris adventum contigit. Tertiò pòst annò Rhenū ponte stravit Cæsar, subegitquè primò Svevos, deinde circa Coloniensem tractum sitos Sicambros.

6. *Quæ conditio Germanorum sub Cæsare Aug.*

Julius Cæsar post omnes ex Germanis reportatas victorias, securo necdum, fixòquè cum suis locò consistebat, quod tamen effectum dedit Augustus. Hic Drusum, privignum suum, adversus bellicosos, & Romanis usquè infestos Germanos subornavit. Et verò expeditionis felicitas ea fuit, ut ad Rhenum inferiorem plerique Germani à Druso subigerentur, exstructis non uno loco munimentis coercendi. Porrò Teutones fæminæ in præliis contra

Dru-

Drusum, intra curruum junctorum propugnacula constitutæ tam desperato consilio pugnabant, ut consumptis telis enectas allisu terræ proles in Romanorum facies ejacularentur, stupentibus omnibus seu crudelitatem seu animositatem.

7. Quam urbem Drusus exædificavit in Germ.

Moguntiam, ubi Mœnus Rheno jungitur. Quin & Augustam Vindelicorum annis antè Christi natalem quindecim expugnatam à Druso, & Romanorum coloniam factam fuisse perhibent. Bellum exinde contra Cattos & Cheruscos, inferioris Saxoniæ gentem, non infeliciter gesserat Drusus, cùm anno ætatis tricesimo morte immatura præreptus est, *Germanici* nomine ejusdem familiæ indito. Tiberius Drusi frater, postea Cæsar, imperium militare contra Romanos suscepit quidem, sed nihil singulari dignum memoria gessit; ac multò minùs Marcus Lollius, Consul Romanus, qui ingenti clade à Germanis accepta, Romam revertit inglorius.

8. Quàm porrò victoriam Arminius à Romanis reportavit?

Augustus Quintilium Varum cum exercitu miserat ad Germanos intra officii limites continendos; quos cùm homo superbissimus, & inexplebilis avaritiæ tractaret asperrimè, Arminius jugum gravissimum à suo, suorumquè cervicibus dejecturus, cum delecta popularium manu Romanos haud procul Monasterio, Westphaliæ urbe, ad pugnam provocat, successu

tàm

tàm prosperò, ut ad quinquaginta hostium millia in acie occubuerint. Qua clade accepta Varum indignatio, & pudor eò perpulit, ut manus violentas sibi ipse intulerit. Cæsar verò Augustus eam jacturam tam iniquo tulit animo, ut præ iræ vehementia impos animi caput parieti impingeret, hæc identidem verba ingeminans: *Quintili Vare, redde mihi meas legiones!* Arminio porrò Germanicæ libertatis assertori ob perpetuum rei gestæ monumentum statuam posuêre Teutones, cui tunc quidem non nisi profanos, posteri verò divinos adeò honores deferre non dubitârunt, donec Carolus Magnus, fervente bello Saxonico, funditus evertendam curavit. In Vetustis Germanorum commentariis statua hæc *Irmensul* appellatur.

9. *Quæ res subsequentium Imperatorum Gentilium temporibus usque ad Constantinum Magnum in Germania gestæ?*

Vincebantur quidem Germani non semel; at sæpius etiam de Romanis triumphârunt, ut proinde hi nunquàm Germaniam debellare, suoquè subiicere imperio usquè qua potuerint.

10. *Quæ Germaniæ fortuna à Constantini Mag: temporibus usquè ad Carolum Magnum?*

Circa dimidium tertii seculi extulêre caput Franci, quo nomine convenerant populi ex Saxonia, Westphalia, & Franconia in unum agmen collecti. Verò simile est, id nominis sibi adscivisse ideo, quò docerent, sibi abjecto penitùs Romanorum jugo patriam libertatem

(hanc

(hanc enim vox Germanica *Franck* notat) unicè cordi esse, eaquè frui velle citra omnem servitutem. Optima ejus consilii exequendi occasio se obtulit imperante Honorio quando Romani Imperii res erant oppidò turbatæ. Quinto proin seculo Franci in arma ruerunt Duce Rege suo Pharamundo, & in Galliam Romanorum Provinciam irruptionem primò fecerunt, quin tamen firmum ibi pedem figerent. Regnante porrò Merovæo aliquot pòst annis alteram impressionem tentarunt, jacto Franconicæ Monarchiæ fundamento. Hanc postea Clodovæus omnium primus firmato jam Imperio possedit, præter Alemaniam & Thuringiam, id temporis adjunctam.

11. Quis porrò status Germaniæ ante Carolum Magnum?

Regnabat adhucdum avita magnam partem superstitio, quamvis pluribus in locis Christianæ fidei germen efflorescere jam cœperit. Jam tum temporis Bojaria, Saxonia, aliæque plures regiones à Ducibus suis regebantur.

12. Quæ rerum Germanicarum vicissitudines imperante Carolo M. ejusquè Successoribus?

Carolus quidem Magnus Germaniæ suam barbariem abstergere institit, optimis eandem legibus instruxit, veri DEI cultum, & universè Religionem promovit, bonis artibus scholas aperuit, cæteraquè omnia in optimum ordinē redegit Debet enim verò Germania huic verè Magno Monarchæ sua incrementa, & subsequentem felicitatem. Postquam ergo Bojariam

jariam & Saxoniam suo adjecit regno, in divisione vastæ tunc Francicæ Monarchiæ Germaniam in peculiare regnum evexit, quòd Ludovicus Pius Filio suo natu tertio Ludovico Germanico transcripsit. Henricus Auceps suo sub regimine quà exstructis pluscul is urbibus, quà institutis artium, & mercimonii exercitiis, quà correcta bellicæ disciplinæ ratione admodum multa præstitit. Cæteri Cæsares, putà: Otho M. S. HENRICUS Bavarus strenuè perrexerunt excolere Germaniam, & ad summa omnia promovere, donec tandem sub glorioso Austriacorum Cæsarum imperio, & præcipuè sub gloriosissimo hodie feliciter regnante Cæsare Carolo VI. ad id fastigii ascendit; ut nec viribus, nec politiæ Christianæ legibus, nec promovendis sapientiæ studiis ulli orbis regno facile cedat.

CAPUT II.

De Germaniæ Principibus quà sacris, quà profanis.

Quandoquidem in priore, eoquè tertio Opusculo de Romano-Germanicis Cæsaribus, quantum satis actum est, necessarium videtur, ùt hic de Germanicis S. R. I. Electoribus, & Principibus, eorumq; rebus gestis brevis fiat mentio.

§. I.

De tribus Ecclesiasticis Electoribus

Quid.

1. Quid notandum venit de primordio Archi-Episcopatûs Moguntini?

Sanctus Crescens, discipulus S. Apostoli PETRI, fuit primus Moguntiæ Episcopus; Sanctus verò Bonifacius postmodum, anno nempe 744. à Zacharia summo Pontifice primus Archi-Episcopus est renuntiatus. Willigisus Fabri carpentarii Filius, ab Othone III. Romanorum Imperatore omnium primus Elector S. R. I. est declaratus, quem etiam ob singularem sapientiam in Imperii negotiis tanquàm Cancellarium adhibuit. Continuavit hoc dignitatis officium etiam sub S. HENRICO Cæsare. Ex eo tempore illa Cancellarii dignitas potissimùm fuit penes Archi-Episcopos Moguntinenses. De Willigiso hoc facta est mentio in tertio Opusculo sub Othone III.

2. Quid cum Hattone ejus nominis secundò Archi-Episcopo Moguntino actum?

Hatto vir immisericors, & durus erga miseros mendicos fuisse scribitur, id quòd testatum fecit premente annonæ caritate, & gravi famis calamitate, sed ad suummet exitium. Quippe turmam mēdicabulorum, quæ panis aliquid rogârant, horreo includi jussit, specie distribuendi ibidem panis. At interea ejusdem imperio horreum incenditur, & unà famelici pauperes conclusi quà flammâ quà fumo enecantur. Eo incendii articulo cùm lamentabiles pereuntium ejulatus audirentur, jocularem in modum Hatto ad suorum aliquèm dixisse fertur: Audi, quomodò hi mures cantillent! Cru-

dele

dele hoc factum in vestigio ultio divina est insecuta. Mox enim inconditus murium exercitus procurrit, Hattonem rectà aggreditur. Hic adeò, ut se infestis his hostîbus subduceret, turrim, in medio Rheni stantem, tanquam asylum, properè conscendit. Sed enim mures manipulatim insequuntur, penetrant portam & fenestras turris, & miserrimum Archi-Episcopum depascunt. Atque hæc turris in hanc usque horam à muribus nomen obtinet. Hæc quidem imperante Cæsare Othone Magno contigisse ferunt, quæ tamen alii Scriptores ad fabulas relegant.

3. *Quæ Trevirensis Archiepiscopatûs exordia?*

Sanctus Eucharius, ex septuaginta duobus Christi discipulis, à S. Petro Apostolo ad prædicandum Evangelium Trevirensibus submissus est, quorum primus Episcopus fuisse traditur. Hic fatis concessit anno Christi sexagesimo sexto. Porrò S. Agricius, Patriarcha Antiochenus anno 330. primus Archiepiscopus fuit constitutus. Hic textilem Christi tunicã secum Treviros attulit, ubi hodiedum asservatur. S. Helenæ Imperatricis domicilium in templi formam redactum Agricius rite consecravit: palatium verò Constantini Magni transtulit in monasticam habitationem, quæ nunc Abbatia S. Maximini vocatur. Primus Elector Trevirensis erat Ludolphus, Saxoniæ Dux Othone III. imperante. Dignitas Archicancellarii aliquantò seriùs Archiepiscopatui huic adjecta est.

Quid de primordiis Archiepiſcopatûs Colonienſis memoratu dignum occurrit?

S. Maternus circa annum Chriſti 99. veræ fidei lumine Coloniam illuſtravit, ibidem anno ætatis centeſimo decimo quinto, Chriſti 128. mortuus. Traditur hic ipſe Maternus viduæ Naimiticæ fuiſſe filius, quem JESUS, S. Luca teſte, ad vitam revocavit. S. Agilulphus octavo ſæculo à S. Bonifacio primus Coloniæ Archiepiſcopus fuit initiatus. Primus autem Elector fuiſſe fertur Heribertus, Marchio Foro-Julienſis ſub Cæſare Othone III. Cœterùm Archi-Cancellarii munus Archi-Epiſcopatui, ſubſequentibus demum temporibus eſt adjunctum.

5. *Quinam Archi-Epiſcopi Colonienſes vitæ ſanctimoniâ præ cæteris floruerunt?*

SS. Severinus, Evergiſilus, Aquilinus, Simoneus, Cunibertus. Agilulphus, Heribertus, Anno, &c. Coloniæ depoſita ſunt corpora quoque SSS. trium Regum, quæ ſub Friderico Barbaroſsa Mediolano, per illum ipſum vaſtato, Coloniam pervenerunt.

6. *Quid de S. Archi-Epiſcopo Annone exiſtimandum?*

Huic parum laudis tribuunt Acatholici; cū tamen Scriptores Synchroni tanquam virum ſingulari ſanctitatis fama conſpicuum celebrēt: id fòrtaſſe nonnulli Viro huic ſancto vitio vertunt, quòd Imperii negotia imperante Henrico IV. cujus adoleſcentiam moderabatur, tractanda ſuſceperit. At in comperto eſt ex

veterum

veterum & probatorum auctorum fide, Annonem id omne in commune Imperii ac præcipuè Ecclesiæ bonum cum non vulgari sapientiæ & justitiæ laude præstitisse.

7. Quis casus fuit Coloniensis Archi-Episcopi Gebhardi?

Sanè lamentabilis casus; nam anno 1583. amplexus sectam Lutheranam, matrimonio sibi junxit publicè Agnetem Comitem à Mansfeld. Equidem quærebat Archi-Episcopatum transmûtare in profanum Principatum, sed à Pontifice mox Vaticano fulmine ictus, à Capitulo Cathedrali abdicatur, substituto ejus in locum Ernesto, Bojariæ Duce. Verùm Gebhardus non eapropter statione cedendum ratus, ad arma prosilit, adscitis in fœdus copiis Palatini Ducis, dicti Simmerensis. Horum tamen consiliis Dux Bojus Wilhelmus Frater Ernesti obviàm ivit. Itaque Gebhardum, pecuniâ, belli nervo destitutum, in Hollandiam expulit, ubi miserrimam vitam tolerans, ab omnibus desertus, infelici fato decessit anno 1589. Exinde non nisi ex Ducibus Bavaris ad hujus Archiepiscopatûs apicem sunt evecti.

Quæ officia & prærogativæ sunt trium Archi-Episcoporum Moguntinensis, Trevirensis, & Coloniensis?

Imprimis singuli sunt S. R. I. Electores, quorum est, cum reliquis Electoribus secularibus Romani Imperii Caput deligere. 2. Moguntinus coronat electum Cæsarem, siquidem coronatio contingat in sui Archi-Episcopatûs ter-

 ritorio:

ritorio: quòdsi coronatio in Coloniensi Archiepiscopatu, loci Archi-Episcopus Cæsarem Regem creat. 3. Quivis horum trium Archi-Episcoporum Archicancellarii munere in Sacro Romano Imperio funguntur, Moguntinus quidem per totam Germaniam, Trevirensis per Galliam, & Regnum Arelatense, Coloniensis per Italiam. 4. Hi tres Ecclesiastici Electores ex more antiquo præcedunt suos Collegas Electores Laicos, & hoc quidem ob reverentiam avitam erga statum Ecclesiasticum. 5. Elector Trevirensis sibi vindicat primum suffragium in Imperii Comitiis, & è Regione Cæsaris considet, habens ad dextram duos Ecclesiasticos, ad lævam Electores seculares.

§. 2.

De Regno & Electoratu Bohemico.

1. A quibus populis Bohemia olim habitata fuit?

Primi habitatores fuerunt Boji, qui annis quingentis & nonaginta ante natam mundi salutem sub Rege suo Sigovesto ex Gallia in Bohemiam migrârunt. Hanc de suo nomine Bojohemum dixerunt, seu Bojorum Coloniam, aut sedem. 2. Anno quinto post natum Christum expulsi sunt à Marcomannis, qui ex Germaniæ populis consederant priùs Danubium inter & Niccarum fluvios. Itaque hi Duce suo Rege Maroboduo, Bojis ejectis, Bojohemum pleno jure sibi vindicârunt. Boji verò amissa statione cesserunt in proximam Regionem Narisco-

riſcorum, quam hodie dicunt Palatinatum ſuperiorem. Indè Danubium trangreſſi circiter annum Chriſti 500. Romanis ex Vindelicia ejectis, in eadem ſedem ſibi ſixerunt. Hæc proin Regio ab ipſis nomen accepit Bojariæ vel Bavariæ. 3. Ad annum Chriſti 550. aut ex aliorum ſenſu annum 640. Slavi populi Bohemiam occupârunt, ex eaque Ducatum formârunt. Primus Dux fuit Zecchus, frater Lecchi & Ruſſi. Horum fratrum primus cum ſuis in Polonia, alter in Moſcovia ſive Ruſſia conſedit, ubi utrinque ab ipſis forma Ducatûs eſt introducta. Atque hæc Slavonica natio initium fecit extirpandis denſis Bohemiæ ſaltibus, ad promovendam terræ fertilitatem.

2. *Quæ primariæ mutationes intervenêre à tempore Zecchi uſque ad noſtra tempora?*

Poſt Zecchum Bohemi à viginti duobus Ducibus regebantur ſerie non interruptâ. Sub duodecimo Duce Borivorio I. Bohemia Chriſtianæ Religionis lumen feliciter aſpexit, tempore Cæſaris Arnulphi circa annum Chriſtianum 895. Anno ſubinde 1086. Ladislaum II. Henricus IV. Imperator Moguntiæ Regem dixit. Poſt hunc regimen tranſiit partim ad Duces, partim ad Reges, donec tandem Primislao II. Regium Bohemiæ titulum Cæſar Philippus in perpetuum confirmavit. Paulò pòſt idem Primislaus, utpote Rex & unà Elector operam ſuam contulit in eligendo Friderico II. Poſt Primislaum Regum Bohemorum electio plerumque fiebat per ſcrutinii ſuffragia, ut Rex

tamen esset fiduciarius Cæsaris cliens, in suis propriis terris. Albertus II. & Ferdinandus I. ambo Cæsares ex Austriaca Domo Regnū Bohemiæ, & Hungariæ jure nuptiali sibi asseruerūt. Tandē anno 1620. Bohemia post famosā ad Pragæ mœnia victoriam à Ferdinando II. obtentā contra Fridericum, (unius hyemis Regem dictum) ejusque exercitum in jus hæreditarium, armis, partū, transiit, id quod pace Monasteriensi est confirmatum. Carolus VI. gloriosissimè regnans modò Romanorum Imperator, undecimus jam Bohemiæ Rex numeratur ex Archiducibus Austriacis.

3. *Quinam præterea Duces & Reges Bohemiæ sunt speciatim memorabiles?*

1. Primislaus primus, tametsi ortu & conditione ruricola fuerit, tamen non vulgaris sagacitatis & prudentiæ laude eminuit. Quare Libussa tertia Dux Bohemiæ, quæ urbem Pragam condidit, illum in thalami conjugalis consortem adlegit, & eo pacto quartum Bohemiæ Ducem fecit. Huic septem ipsis annis velitandum fuit cum Bohemis fœminis, quæ ductu nobilioris ex Libussæ aula mulieris Bohemiæ regimen sibi arrogabant. Et verò primus conflictus illis prorsus ex voto cessit. Primislaus mansuetudine, & longanimitate feroces mulierum animos delinire, & expugnâre satagebat. At cùm nihil, lenitate proficeret, armata tandem manu ambitiosas has Amazones cóēgit ad domesticam colum reverti. Acta hæc sunt circa annum Christi 650.

2. San-

2. Sanctus Wenceslaus decimus quintus Bohemorum Rex, viri sancti, numerisque omnibus absoluti formam in se ipse expressit. Singularem porrò memoriam meretur tenerrima ejus erga augustissimum Altaris Sacramẽtum pietas. Solebat enim quotannis triticum, divino Sacrificio serviturum, suis ipse manibus seminare, & metere: in eundem quoque finem esse vindemiator, & legere botros ad usum sacri Calicis consueverat. Tandem impiæ Matris Drahomiræ instinctu à crudeli Fratris Boleslai ferro in templo orans, Deo victima cecidit innocentissima. Drahomira, sanguinaria furia, meritissimas dein sceleris pœnas dedit, quando viva cum curru & equis terræ hiatu fuit absorpta; Boleslaus verò id gratiæ à cœlo obtinuit, ut postea resipisceret. Cæterũ Sanctus Martyr & Rex Wenceslaus in terris agebat Othonis Magni Cæsaris temporibus.

3. Venceslaus V. postremus Ducum Bohemorum fuit ex stirpe Primislai ruricolæ, anno 1306. violenta morte sublatus. Paulò pòst successerunt tres Bohemiæ Reges, Carolus IV. Wenceslaus Piger sive Ignavus, & Sigismundus, quorum singuli subin Cæsares sunt creati.

4. *Quid præterea de Bohemis observatu dignum?*

1. Regnum Bohemiæ pars quidem Germaniæ censetur, sed nulli Circulo Imperii accensetur. 2. Rex Bohemiæ inter Electores Laicos principatum tenet, & suffragium fert proximè Archiepiscopum Coloniensem. 3. Olim

Rex Bohemiæ, quà Elector, nihil admodum conferebat ad communes Imperii expensas, nec in ullis comparebat Comitiis: sed ab anno 1708. utrumque modò præstat. 4. Marchionatus Moráviæ, & Ducatûs Silesiæ referuntur ad Bohemiam, uti & Lusatia, quæ tamen à Ferdinando II. Electori Saxoniæ relicta est ad compensandas impensas in bellum factas.

§. 3.
De Electoratu Bavarico, & Palatinatu Electorali.

Ambæ hæ Domus Electorales hic conjunguntur, quoniam eandem trahunt originem.

I.

1. Quis Bojariæ status priscis Romanorum temporibus?

Imperante Augusto Bojaria erat Romanorum Provincia, cujus pars, Superioris Sueuiæ contermina, Oenum inter & danubium, Lacum Podamicum, & Alpes sita, dicta est Vindelicia. Altera pars residuum Bojariæ complectebatur tractum cis Oenum cum Austria, nomenq; Norici obtinuit.

2. Qua ratione Bojaria à Romanis ad Bojos translata est?

Boji quingentis nonaginta annis ante Christi ortum è Gallia in Bohemiam transgressi, hanc exinde Bojohemiam apellârunt. Sed quĩto post natum Servatorem anno à Marcomannis,

nis, priſcis Germaniæ incolis, ſunt expulſi. Itaque in Nariſcorum terras (Palatinatum ſuperiorem) profugi, ſedem ibi fixerunt, donec anno 508. Ductore Theodone primo Almonium amnem trajecêre, quo ipſo ex tranſitu Dietfurto (ſeu Theodone vado) nomen deinceps adhæſit. Inde progreſſi, longiùs Ratisbonæ Danubium quoque ſuperârunt, & pulſis ex Vindelicia Romanis, Boicum, eumque regium dominatum ſtabiliverunt. Porrò] Ratisbonam Romanis exortam, de Conjuge ſua Reginobirga dixit Theodo Reginoburgum, in qua ipſa urbe Regiam ſibi delegit. Ibidem loci Theodo III. ſub finem ſeculi ſexti à S. Ruperto[in Deipatæ Sacello (*veterem Capellam* vocant) hodieque exſtante, ſacro baptiſmatis fonte ablutus eſt.

3. *Quomodo Bojaria à primis Bojorum Ducibus ad Carolum Magnum tranſiit?*

Thaſſilo ejus nominis tertius Bojariæ Dux in Conjugem acceperat Litopirgam, filiam Deſiderii ultimi Longobardorum Regis. Hunc Carolus Magnus Ticini captum, Regno exuerat. Itaque Litopirga vindictæ furiis agitata, Thaſſilonem adversùs Carolum Magnum concitare non deſtitit, quoad infeſta arma caperet contra Regem Victorem. At enim ejus expeditionis conſilium, ſiniſter exitus fruſtratus eſt. Quippe à Carolo victus, ſuoque Ducatu privatus cum Principe filio in Gemetenſe Galliæ Monaſterium migrare juſſus eſt ubi vitâ laudabiliſſimè ductâ obiit circa annũ 705.

Ex eo tempore Bojaria, in Gallicam Provinciam reducta, perstitit in Carolino stemmate usque ad Ludovici IV. obitum.

4. *Quis inter mortuo Carolino stemmate Bojariæ imperavit?*

Diversi imperârunt Duces, sed non ex una eademque Domo. Post mortem Ludovici IV. regnabat in Bojaria Arnulphus malus, ingenii planè inquieti Princeps. Hic invidens Cæsareæ coronæ, Conrado I & Henrico Aucupi bellum movit, sed ob id maleficium suis è terris expulsus. Arnulphus, filius Arnulphi, paria ausus est contra Othonem magnum, qui illum ità mulctavit, ut Ducatu adempto cum suis posteris in sortem Comitum retulerit. Ex hoc proin descendunt Palatini Comites Schirenses, & Comites Wittelsbacenses, qui tandem lapsu temporum restauratam Ducatûs dignitatem in Bojaria obtinuerunt. Neque exinde ea dignitas desiit, sed hodiedum in Electorali Domo Boica floret.

5. *Quinam Duces Boji post Arnulphum Malum, ejusque filium sunt memoriâ digni?*

Post Arnulphum usque ad restitutionem Domûs Witelsbachiæ præerant Principes Saxones, Francones, & Suevi. Ex gente Saxo-Bavarica erat S. Henricus Cæsar, qui Abudiaci, oppido Bavariæ ad Danubium, Ducalem Regiam suam locârat. Inter Duces Bojariæ ex Franconibus fuerunt Henricus III. & IV. postmodum Romani Imperatores. Hic remunerationis nomine Bojariam Guelphoni, è Comitum

tum Altorffensium in Suevia stemmate possidendam dedit. Inter Guelphicæ prosapiæ Duces præ cæteris memorandi veniunt Henricus IX. *Niger*, Henricus X. prioris filius, *Superbus* dictus, & Henricus *Leo* cognominatus, postremi filius, qui præter Bojariam totam quoque possidebant Saxoniam, quam Henricus IX. conjugali fœdere sibi asseruit, Henricus *Leo* verò iterum amisit, quando à Cæsare Friderico Ænobarbo A. 1180. proscriptus, omnibusque suis Regionibus, præter Brunsvicensem & Luneburgensem, est exutus, Bojariâ Othoni Comiti Wittelsbachio, ob egregiam in bello navatam operam, attributâ. Interea temporis urbs Ratisbona in libertatem asserta, non rediit deinceps ad dominium Boicum. Idem Henricus *superbus* pontem illum celeberrimum Ratisbonæ è lapide quadrato sub A. 1140. exstruendum curavit.

6. Quinam Duces & Electores post Henrici Leonis proscriptionem ad hanc usque diem rexêre Bavariam?

1. Otho M. Wittelsbachius, hodiernæ Domûs Bavaricæ Auctor. Obiit A. 1183.

2. Ludovicus Elector, qui totum Palatinatum cum Electorali dignitate in familiam Wittelsbachiam pactis nuptialibus transtulit. Occisus est Kelhemii An. 1231.

3. Otho Elector obiit An. 1253.

4. Ludovicus Severus, Elector, occisa ob adulterii suspicionem conjuge cum aliis quatuor, tantis idcirco animi tormentis excruci-

atus

tus eſt, ut in ſequente mox nocte totus incanuerit, Fürſtenfeldenſis exinde Monaſterii conditor. Rudolpho filio, nominis, gentiſq; Palatinæ propagatori Palatinatum; Ludovico verò, poſtea Cæſari, reliquit Bavariam, ex eo tempore à Palatinatu, universè accepto, ſemper ſejunctam Obiit 1294.

7. Quæ Bavariæ facta diviſio à Ludovici Cæſaris obitu?

Hujus filius Stephanus I. Bavariam tribus ſuis filiis ità diviſis ut Stephano, natu maximo, Ingolſtadium, Friderico Landishutum, Joanni natu minimo Monachium obvenerit. Deficiente porrò poſt annos 53. Stephani progenie, hæreditas obtigit Duci Landishutano. Sed & hujus ſtirpe poſt annos centum & undecim exareſcente, Albertus IV. Bavariam ſolus obtinuit, legemque tulit, ut deinceps natu maximus Bavariæ univerſæ ſolus præeſſet. Obiit Stephanus I. A. 1377. cujus filius Joannes A. 1397. Erneſtus verò Joannis filius A. 1438. ex hac vita migravit. Albertus porrò Pius, Erneſti filius A. 1460. decedens, teſtamento caverat, ut è quinque filiis ſumma rerum ad Joannem & Sigiſmundum, natu majores, deferretur.

Sigiſmundus: Baſilicæ B. M. V. Monachii conditor, trienniū cū Joanne, hocque peſte ſublato, ſolus biennium regnabat, Principatu exinde in Albertum IV. fratrem ſponte translato; cui tamen Chriſtophorus & Wolfgangus fratres natu minores multum negotii faceſſebant.

bant. At longò difficilior eidem contentio fuit cum Georgio Duce Landishutano Ludovici divitis, qui Ingolſtadienſem Academiam condidit, filio. Hic filiam Ruperto Palatino deſpondit, dotique inferiorem dixit Bavariã. Orto indè bello graviſſimo; iis tandem conditionibus A. 1505 pax firmata eſt, ut Ruperti pupillis Othoni Henrico novus, uti deinceps appellari cœpit, Palatinatus attribueretur.

8. *Qui Duces & Electores univerſæ denuo Bavariæ imperârunt?*

1. Albertus IV. diviſas Bavariæ Provincias iterum conjunxit A. 1507. Mortuus anno ſequente 1508.

2. Guilielmus IV. Conſtans eò præcipuè appellatus, quòd in Bavaria Religionem Catholicam, graſſante circumcirca hæreſeos lue, & Marte ruſtico latè omnia devaſtante, ſartam, tectamque conſervarit. Mortuo Landishuti Ludovico fratre inferioris Bavariæ Duce, ſolus rerum potitus. Deceſſit A. 1550.

3. Albertus V. Religionis Orthodoxæ in Germania propugnator fortiſſimus, legem jam antea latam ſtabilivit, ut nè poſthac Bavaria divideretur. Societatem JEſu Ingolſtadium & Monachium introduxit. Obiit A. 1579.

4. Guilielmus V. Catholicæ itidem Religionis non in ſuis modò, ſed exteris quoque Provinciis, præſertim adversùs Gebhardi Septemviri Colonienſis molitiones, vindex ſtrenuiſſimus, Bavariæ Principatu, quem 17. annos ſumma cum laude tenuit, in Maximilianum

num filium ſponte translato, per 29. annos vitæ reliquos animæ negotium, omnium graviſſimum, uniceque neceſſarium, tractandum ſuſcepit. Vivere deſiit A. 1626.

5. Maximilianus I. Heros incomparabilis, poſt Pragenſem victoriam Septemvirali dignitate A. 1623. auctus, Palatinatum ſuperiorē, & urbem Donaverdam Eccleſiæ ſimul Catholicæ, ac Boicæ Domui aſſeruit. Obiit Ingolſtadii A. 1651.

6. Ferdinandus Maria, Principis optimi numeros omnes implevit. Nec minor ipſi, quā Progenitoribus, Orthodoxæ Religionis cura erat, qui omnium Bavariæ principum nativus quaſi character eſt, baſiſque & fundamentum boni, auſpicatique Principatûs. Obiit Schleishemii A. 1679.

7. Maximilianus Emmanuel in Hungaricis præcipuè pro re Chriſtiana ſuſceptis expeditionibus, liberatione Viennæ, expugnationibus urbium Budæ, Strigonii, Neoſolii, Eſſecii, & maximè Belgradi, &c. pugnis itèm decretoriis ad Baracanum, Moliazium &c. immortale ſibi nomen comparavit. Indè variis bellis implicitus, & fortunam utramque expertus, recuperatis A. 2715. Provinciis, Monachii diem obiit A. 1726.

8. Carolus Albertus, præfato Maximiliano & Tereſſia Sobieſcia conſorte Joannis III. Poloniæ Regis filia progenitus 1697. Electus Imperator, & coronatus ſub nomine Caroli VII. 1742. Obiit 1744.

9. Carolus Maximilianus hodiè, Bavariæ Imperans.

II.
De Electoratu Palatino.

1. Quæ Palatinatûs facies ante Caroli Magni tempora?

1. Ante Romanorum adventum Palatinatûs vetustissimi Regni alemannici pars fuerat. 2. Imperante Augusto, & hunc, & omnes alias Provincias Rhenanas Romani in potestatem suam redegêre. 3 Incolæ Palatinatûs in Francica postmodum expeditione à Pharamundo A. 424. suscepta, superato Rheno, Romanos in Gallia sunt adorti.

2. Quid de antiquis Comitibus Palatinis sciendum?

1. Cùm olim Germania, in Principatus nondum distributa, solis pareret Imperatoribus, hique sedes suas identidem mutarent, fuerunt pro singulis Provinciis constituti supremi Præfecti, dicti Comites Palatini, qui, nomine Cæsaris absentis controversias dirimerent. Hos inter eminebat Comes Palatinus Rheni: quia non solùm in adjacentibus terris, sed in ipsa etiam Aula Imperatoris, imò, cùm hic Romam proficisceretur, per universam Germaniam juris dicendi potestatem habebat. 2. Exstincta porrò per Ludovici IV. mortem Carolina stirpe, regionum Præfecti, in Palatinatu ac alibi, munia & Provincias fidei suæ commissas hæreditario quasi jure possidere cœperunt. 3. Eberhardus A. 912. à fratre suo Conrado I. Cæsare Palatinatum pro sua familia obtinuit. 4.

Con-

Conradus Dux Sueviæ, frater Friderici I. Imperatoris anno 1156. Heidelbergam condidit.

3. Quinam exſtincta ſtirpe Carolina Palatinatum obtinebant, donec is Domui Wittelsbachiæ obvenit?

Nobiliſſima omnes, at diverſa ſtirpe prognati erant, quos brevitatis ſtudio prætermus. Henricus Henrici Leonis filius pactis dotalibus Provinciæ poſſeſſionem adiit, ſed eâdem iterum dejectus eſt anno 1215. quando à Friderico II. Cæſare fuit proſcriptus. Poſtmodū Ludovico Bavariæ Duci, Othonis I. Wittelſbachii filio, Palatinatus clientelari jure eſt traditus; nec antè tamen in ejuſdem poſſeſſionē venire licuit, quàm Otho Ludovici filius Agnetem, Henrici proſcripti filiam matrimonio ſibi junxit. An, 1225.

4. Quamdiu Domus Bavarica Palatinatum ſimul ac Bavariam cum Electoratu tenuit?

Annos circiter ſeptuaginta, quoad nempe Rudoſpho, Ludovici Severi filio natu majori, Palatinatus, Ludovico verò, poſtea Cæſari, Bavaria eſt attributa, diviſione hac in hodiernum uſque diem perdurante.

5. Quinam exinde Electores Palatini Electoribus Boico-Palatinis ſucceſsêre?

Orti hi erant ex triplici ſtirpe. 1. Rudolphina. 2. Simmerenſi. 3. Neoburgica.

6. Quid de Rudolphinæ ſtirpis Electoribus universè memorandum?

Ex hac tredecim Electoratum obtinuêre ab A. 1294. ad A. 1559. Nos aliquos memorabimus.

Rudolpho I. quòd à Friderico Auſtrio contra Ludovicum fratrem ſtetiſſet, proſcripto, Palatinatum tamen cum Septemviratu recepêre filii, ea lege (quam jam antea avus Ludovicus Cæſar, patruus fœdere Ticini inito renovaverat) ut ex Domo Bavarica & Palatina alternîs poſthac vicibûs Septemviri legerentur.

Verùm Carolus IV. Cæſar Rupertum I. Rudolphi I. filium, & Annæ Conjugis ſuæ fratrem, ejusque poſteros edito Norimbergæ A. 1356. diplomate perpetuos S. R. I. Archidapiferos & Septemviros inſtituit.

Ruperto igitur I. ſucceſſit Rupertus II. ex fratre nepos, & huic Rupertus III. qui exauctorato A. 1400. Venceslao, Cæſar eſt creatus.

Ludovicus Barbatus Ruperti III. filius, in Concilio Conſtantienſi Sigismundi Cæſaris, aliquoties abſentis, vices implevit. Indè domum redux linguam Latinã jam ſenex cœpit addiſcere, quòd Cæſar Sigismundus ſæpius conqueſtus eſſet, nullum ex Electoribus laicis latinè ſcire. Hujus progenies defecit A. 1559. Othone Henrico ſinè liberis emortuo. Hic à Georgio Divite Duce Landishutano, avo ſuo materno Palatinatum novum ſeu Neoburgicum, poſt bellum cruentum Domum inter Bavaricam & Palatinam exortum, obtinuit.

6. Qui Electores Palatini è stirpe Simmerensi?

1. Fridericus III. 2. Ludovicus. 3. Fridericus IV, 4. Fridericus V. qui post pugnam Pragensem septemviratu,& Bohemiæ Regno, in quod ambitiosæ potissimùm cõjugis, aliorumque pessimis consiliis inductus, sese intruserat, exutus, fato cessit A. 1632. sex & triginta haud ampliùs annos natus. 5. Carolus Ludovicus Frid. V. filius. cui per pacta Monasteriensia octava dignitas Electoralis cum Archithesaurarii titulo adjudicata est. 6. Carolus A. 1685. sinè prole decedens, cujus soror Philippo Aurelianensi nupta, ansam dedit bello exitiosissimo, quo miles Gallicus totum penè Palatinatum ferrô ac flammîs depopulatus est.

8. Qui Electores Palatini è stirpe Neoburgica?

1. Philippus Vilhelmus, Domûs Palatinæ augustum decus, & religionis præsertim orthodoxæ strenuus propugnator. Ex Elisabetha Amalia Hassiæ Landgravia Liberos suscepit septendecim, plerosque omnes infulîs, imperialibûs, regiísque diadematis, insignib9 Electoralib9&c. cõspicuos obiit A. 1690

2. Joannes Vilhelmus, qui causam, Domum inter Palatinam, & Aurelianensem tamdiu agitatam, arbitro tandem Romano Pontifice obtinuit, nullíque exindè pepercit labori, quo Palatinatum Gallorum incendiis, cædibus, direptionib9 miserè devastatũ erigeret, melioremque in statum restitueret. E vita discessit A. 1716. 3. Ca-

3. Carolus Philippus Elector, Joannis Vilhelmi frater obiit A. 1743. Carolus Philippus ex Joãne Christiano Principe de Sulczbach & Maria Henrietta Filia Francisci Marchionis de latour Auvergnæ progenitus, successit 1743.

9. Quas metamorphoses Religio subiit in Palatinatu?

1. Fridericus II. Lutheranismum crudum adhuc & impolitum. 2. Otho Henricus confessionem Augustanam, à Melanchtone cusam, ac sæpius recusam. 3. Fridericus III. Zwinglii. 4. Ludovicus Ubiquistarum. 5. Fridericus IV. ejúsque Tutor Casimirus Calvini sectam terris suis invexêre, tam acerbis Neo-Evangelicorū odiis, & insectationibus, ut Lutherani Calvinistas, hique illos ferro, igne, rotâ è templis, scholis, urbibus exterminatos vellent, donec tandem Wolfgangus Wilhelmus Religionem avitam, jam indè à S. Materni & S. Crescentis, primorum tractûs Rhenani Apostolorum, temporibus per annos 1400. usque ad horribile illud Germaniæ schisma cultam semper, observatámque A. 1614 cœpit reducere. Hujus exemplo non modò tota Domûs Palatina ad Catholica sacra postmodum reversa est.

§. 4.
De Electoratu Saxonico, Brandenburgico, & Brunsvicensi.

1. Quid de Saxonia ante Caroli Magni tempora memoratu dignum occurrit?

In Saxoniam Romani veteres nunquam penetrârunt. Unde Regio hæc ante & poſt Chriſti ortum uſque ad Carolum magnum ab inquilinis priſco Germanorum more gubernabatur. At Carolus magnus continuo trium & triginta annorum bello illos tandem devicit, & cum Duce ſuo Wittekindo ad Chriſtiana ſacra traduxit.

2. Qui Duces poſt Caroli Magni tempora regnârunt in Saxonia?

Quintuplici ſtirpe orti erant, nempe 1. Wittekindorum. 2. Billingorum. 3. Guelphorum ſive Bojorum. 4. Aſcaniorum ſive Anhaltinorum. 5. Marchionum Miſnenſium.

3. Quô hi ordinê regnârunt?

1. E Wittekindi ſtirpe, quæ ante & poſt Caroli magni tempora rerum potiebatur, originē duxêre 5. Imperatores Saxonici: Hēricus auceps, Otho I. II. III. & Henricus S. 2. Hermānus Billingus, vir nobilis, ab Othone Magno ob præclara in Cæſarem hunc merita, A. 960. Saxoniæ Dux creatus, ſtemmatis Billingani auctor fuit. Fertur hic antea non nisì ſeptem in dynaſtia ſua colonos numerâſſe, quos ad unum omnes ob furtum, communi opera, & conſilio cummiſſum, in furcam agi juſſit. 3. Exſtincto dein Billingorum ſtemmate Saxonia ad Guelphicam Bojorum Domum A. 1125. eſt translata. 4. Henrico

rico Leone proſcripto Albertus Urſus ex gẽte Aſcania ſive Anhaltina Saxoniæ Ducatum A. 1180. obtinuit; cujus filius & Succeſſor Bernardus primus Saxoniæ Elector fuiſſe tra ditur. 5. Hâc quoque ſtirpê exareſcente, Sigismundus Cæſar Fridericum Bellicoſum Mi ſniæ Marchionem ob ſtrenuam in bello Huſ ſitico navatam operam Ducem & Electorem Saxoniæ A. 1423. creavit. Ad hanc Marchionum Miſnenſium ſtirpem hodierna Saxonũ Domus univerſa originem ſuam refert.

4. Quinam inter Saxoniæ Electores Speciatim memorandi?

I. Fridericus Bellicoſus duos genuerat filios Erneſtum, & Albertum, unde ſtirps Erneſtina & Albertina. Ex Erneſtina tres Electores, Fridericus cum Joanne fratre, hujúſque filio Joanne Friderico; Duces itèm Vinarienſes, Iſenacẽſes, Gothani, Coburgenſes, Meinungenſes, Rœmhiltani, Eiſenbergenſes, Hildbertshuſani, & Salfeldenſes; ex Albertina verò reliqui Saxoniæ Electores, Ducéſq; Weiſſenfelſenſes, Merſeburgenſes, & Citiẽſes originem ducunt.

2. Fridericus Elector Lutherum, tanquam *obſtinatum ſchismaticum, & notorium hæreticum* in Comitiis Wormatienſibus à Cæſare Carolo V. ſex Electoribus, cæteríſque Imperii ordi nibus proſcriptum, ſolus protexit. Obiit cæ lebs A. 1525.

3. Joannes Elector Frater Friderici, *Proteſtantium* caput, *Confeſſionem Auguſtanam* cum

Georgio Marchione Brãdenburgico, Ernesto Duce Brunsvicensi, Philippo Hassiæ Landgravio, Wolfgango Principe Anhaltino, urbibus Norimbergensi, ac Reutlingensi A. 1530. Augustæ Vindelic. Carolo V. porrectam, & ab Imperatore, sex Electoribus, cæterísque Imperii statibus rejectam, propugnandam suscepit; quam tamen biennio post ejuravit, ac testamẽto cavit, nè filius in hæreditarias Provincias antè succederet, quàm Luthero ejúsque assectis exterminatis, avita sacra reduxisset. Indè Sacramentis Confessionis, Euchari stiæ, atque Extremæ unctionis ritè susceptis, obiit Catholicus A. 1532. utí testantur literæ, à filio Joanne Friderico ad Guilielmum & Ludovicum Bavariæ Duces, eodem año 1532. 24. Aug datæ, quæ in Electoralis aulæ tabulario Monachii hodiéque asservantur, ac sæpius typis sunt vulgatæ.

4. Joannes Fridericus statuerat quidẽ initio ex suprema parentis voluntate, fideque eidem data, Lutheri sectam stirpitûs eradica re; sed aliorum consiliis in transversum actus, fidem fefellit, maximo suo damno: nam postquam & ipse & reliqui Smalcaldici fœderis socii cum centum ferè millium exercitu anno 1546. Cæsarem prope Ingolstadium oppugnare adorti, nè tentato quidem pugnæ discrimine turpi fuga dilapsi fuerant, altero mox anno ad Mulbergam captus, libertate, fortunísque omnibus excidit, Septemviratu in Mauritiũ Albertinæ stirpis surculum, ejúsq; propaginem translato.

5. Qui-

5. Quinam Albertinæ stirpis Electores?

1. Mauritius. 2. Augustus frater Christianus, qui Calvini sectam in Saxoniam parabat introducere. 4. Christianus II. 5. Joan. Georgius I. 6. Joan. Georgius II. 7 Joan. Georgius III. 8. Joan. Georgius IV. 9. Fridericus Augustus, Georgii IV. frater, Saxoniæ Elector, & Poloniæ Rex, Religionem Catholicam per tot secula jam indè á SS. Ægisti, Marciani, Ludgeri & Caroli Magni tẽporib9 in Saxonia sede stabili receptam, indéq; duce & auctore Luthero exulare jussam, domũ suam recepit anno 1697.

Fridericus Augustus III. successit 1733. Eodem anno in Regem Poloniæ electus & coronatus feliciter imperat.

II.

De Electoratu Brandenburgico.

1. Undè originem trahit hodierna Domus Electoralis Brandenburgica?

Ab antiquissimo stemmate Comitum Zolleranorum, è quibus Conradus I. Rudolphi II. Comitis Zollerani (à quo hodierni Principes Hohenzolleranti) filius, ante annos ampliùs quingentos Comes Castellanus sive Burggravius Norimbergæ fuisse perhibetur. Quam dignitatem Fridericus III. à Cæsare Rudolpho I. an. 1237. jure hæreditario obtinuit. Fridericus VI. Norimbergæ Burggravius à Sigismũdo Cæsare Marchiæ Branden-

burgicæ vicarius primùm administrator, dein A. 1417. Septemvir est renuntiatus.

2. Quinam Marchiæ Brandenburgicæ ante Comites Zolleranos præfuêre?

1. Henricus Auceps circa A. 928. Sigefridum Comitem Ringelheimensem ex Wittekindi stirpe primum Marchionem designavit. 2. Fridericus Ahenobarbus Albertum Ursum ex Ascania seu Anhaltina Domo Marchionatu simul & Septemviratu condecoravit. 3. Cùm ultimus è stemmate Ascanio Elector sinè liberis decessisset. Cæsar Ludovicus Bavarus Septemviratum filio Ludovico, & hic Ludovico Romano fratri tradidit, cui sinè prole defuncto Otho frater successit. 4. Cùm & Otho improlis obiisset, Carolus IV. Othonis socer, Marchionatum filio Venceslao, hic verò, pòst adeptam Imperii & Bohæmiæ coronam, fratri Sigismundo, tandē Imperator, Friderico Burggravio Norimbergēsi è Comitibus Zolleranis cessit, ut suprà meminimus.

3. Quot Electores Brandenburgicos Domus Zellarana numerat?

Tredecim, è quibus primi quinque Catholici, tres proximi sequentes Lutherani, reliqui Calviniani, hoc ordine. 1. Fridericus I. 2. Fridericus II. 3. Albertus ob animi altitudinem Teutonicus Achilles, ob eloquentiā Ulysses Germanicus dictus. 4. Joannes, ob facundiam, Germaniæ Cicero appellatus, sedē ex Franconia in Marchiam Brandenburgicā transtulit. 5. Joachimus I. os & oraculū Imperii, ac sui temporis Nestor cōmuni. Scri-

ptorum elogiô celebratus, Lutheranæ factioni invictâ constantiâ se opposuit. 6 Joachimus II. Lutheri sectam A. 1539. palàm est amplexus. Interiit veneno per Judæum propinato. 7. Joannes Georgius, à quo hodierni Marchiones Culembacēses, seu Baruthani, & Onoldini originem trahunt, *Formulæ Concordiæ*, novísque Ubiquistarum erroribus cū Augusto Saxoniæ Electore subscripsit. 8. Joachimus Fridericus Havelbergensem, Lebusiensem Episcopatum cum Archiepiscopatu Magdeburgensi sibi vindicavit. 9. Joannes Sigismundus A. 1614. sectam Lutheranam cū Calviniana commutavit. 10. Georgius Wilhelmus Borussiam Ducalem, quam Albertus Brandenburgicus, supremus Ordinis Teutonici Magister, facta ab Ecclesia & ordine secessione, occupaverat, jure hæreditario sibi asseruit. 11. Fridericus Vilhelmus, rebus belli pacísque tempore gestis nominatissimus, annos 48. ad clavum sedit. 12. Fridericus III. Regis Prussiæ titulum anno 1701. primus assumpsit. 13. Fridericus Vilhelmus rerum potitus obiit 1740. successit Fridericus Carolus.

III.

De Electoratu Brūsvico-Luneburgico.

1. *Quis hodiernæ Domûs Electoralis Brunsvicensis Conditor?*

Henricus Leo è Guelphica stirpe Comitū Altorf-

Altorffensium in Suevia, qui Bavariam juxta & Saxoniam, cujus pars tunc erat tractus Brunsvico-Luneburgicus, in sua tenuit ditione. At postquã A. 1180. à Friderico I. proscriptus fuit, Provinciis omnibus, præter Brunsvicensem & Luneburgicam, est exutus.

2. In quot ramos stirps Brunsvicensis hodierna dividitur?

1. In Guelferbutanum, & hic iterum in Brunsvicensem, Guelferbutanum, & Beveranum. 2. In Luneburgicum, hícque in Cellēsem, & Hannoveranum.

3. Quis stirpem Guelferbutanam propagavit?

Antonius Ulricus meximi ingenii Princeps, qui fratri Rudolpho Augusto sinè liberis defuncto in Ducatu Brunsvicensi successit, & A. 1710. ad Ecclesiæ Catholicæ gremium rediit, pater Augusti Wilhelmi, hodierni Ducis Brunsvico-Guelferbutani, & Ludovici Rudolphi Principis Blanckenburgensis, cujus filia natu major Elisabetha, Augusta hodie Imperatrix est, minor verò Alexii Russiæ Monarchæ parens fuerat.

4 Quis stirpis Luneburgicæ propagator?

1. Georgius, qui A. 1641. mortuus. 4. reliquit filios, Christianum Ludovicum, Georgium Wilhelmum, Joannem Fridericum, & Ernestum Augustum 2. Christiano Ludovico sinè liberis defuncto, in Ducatu Cellēsi successit Georgius Wilhelmus; cúmque & hic A. 1705. obiisset improlis, hæreditas ad Hannoveranum est devoluta. 3. Provinciæ

Han-

Hannoveranæ ceſsêre Joanni Friderico A. 1651. Religionem Catholicam amplexo, Patri Wilhelminæ Amaliæ, Joſepho Romanorum Regi, poſtea Imperatori, nuptæ. 4. Joanni Friderico ſinè prole maſcula A. 1670. obeunti ſucceſſit Erneſtus Auguſtus frater, quem Leopoldus I. A. 1692. nonum S. R. I. Electorem dixit. 5. Georgius Ludovicus Erneſti filius poſt multas, gravésque altercationes in Electorum Collegium Ratisbonæ A. 1708 admiſſus, & A. 1714. ad Britanniæ ſoli um vocatus eſt. 6. Georgio Parenti in itinere ex Anglia in Germaniam An. 1727. fatis functo ſucceſſit Georgius Auguſtus,

§. 5.

De Auſtria, Styria, Carinthia, Carniola, & Tiroli.

1. *Quid de Regionibus hiſce generatim dicendum?*

Totus hic terrarum tractus *Noricum* vocabatur; Cæſar Auguſtus, poſt gravia bella Tiberii privigni ſui ductu ibidem geſta, in Romanã redegit Provinciam. Hanc annis quingentis Romani, híſque à Theodone I. Bavariæ Duce ſub A. C. 508. pulſis, Boici, poſt hos verò, Thaſſilone ultimo Bojariæ Duce Agilolfingicæ ſtirpis à Carolo Magno A. 788. exauctorato, Præfecti alii atque alii adminiſtrabant.

2. *Qui pri-*

2. *Qui primi Austriæ Marchiones, Duces, & Archiduces?*

1- Tametsi Provinciæ hujus Præfecti jam antea Marchiones fuerint appellati; hæc tamen dignitas hæreditaria non erat, quoad tandem Leopoldus Illustris à Cæsare Henrico Aucupe contra Honnorum præcipuè irruptiones Austriæ Marchio designatus, eandem jure hæreditario cœpit possidere. 2. Hẽricus II. Leopoldi Sancti filius, à Friderico Ænobarbo A. 1156 primus Austriæ Dux salutatus, multisque aliis prærogativis est ornatus. 3. Fridericus II. inter Austriæ Duces quintus, à Cæsare Friderico II. *Archiducis* titulo insigniri cœpit.

3. *Quâ occasione Austriæ possessionem adiit Domûs Habspurgica?*

Othocarus Bohemiæ Rex, Friderico II. ultimo Austriæ Duce exstincto, ejusdem sororem Margaritam matrimonio sibi junxerat diuturni illius interregni tempore. Cùmq; Rudolphus Comes Habspurgicus ad Imperii solium fuisset evectus, Othocarus clientelare eidem præstare obsequium recusabat. Bello igitur à Cæsare semel atque iterum illato, in acie cecidit. Indè Austriam Domino, Rectoréque orbatã Imperator filio Alberto I. cliẽtelari nomine tradidit, quã ex eo tẽpore Domûs Habsburgica in sua semper tenet ditione.

4. *Quo pacto Styria, Carinthia, Carniola, & Tirolis obvenêre Austriacis?*

Provinciæ istæ post Caroli Magni tẽpora suis

ſuis quæque Dominis parebant. Styria A. 1193. emptione Auſtriaci juris facta eſt. Carniola extinctis A. 1233. loci Marchionibus Auſtriacorum poteſtati ſe ultro ſubjecit. Carinthia A. 1332. annuente Cæſare Ludovico Bavaro clientelæ nomine Auſtriæ obvenit. Tyrolis Margarita Maultaſchia, ultimi Carinthiæ Ducis & Comitis Tirolenſis filia poſt filii ſui obitum An. 1664. Auſtriacæ Domui ceſſit.

§. 6.

De Principib9 Imperii Eccleſiaſticis.

Hos eô recenſebimus ordinê, quô in Imperii Comitiis conſidere ſolent.

1. *Quid de Archiepiſcopatu Salisburgenſi ſummatim memorandum?*

Sanctus Maximus ſub A. C. 474. Epiſcopale ibi munus ſuſtinuit. At ubi biennio pòſt urbs illa à Gothis, aliisque gentibus barbaris funditus everſa eſt, annis 142. deſerta ſuis in ruderibus jacuit, donec Theodo III. Bojariæ Dux, urgente S. Ruperto urbem inſtauravit, atque Epiſcopatũ Salisburgenſem condidit A. 616. Sanctiſſimus hic Præſul Epiſcopatui præfuit uſque ad A. 623. Arno, ſub Caroli Magni tempora, primus ibidem Archiepiſcopus fuit in anno 798.

2. *Quodnam fuit initium Ordinis Teutonici?*

Cùm Fridericus I. 1189. ſacram expeditionem in Palæſtinam ſuſciperet, Germana Nobilitas eum certatim ſecuta eſt, quæ exſtincto

etiam

etiam Imperatore rem tam ſtrenuè egit, ut Ptolemaidem, urbem munitiſſimam, cum aliis Palæſtinæ locis expugnaret. Exinde ſtabilis eiſdem ſedes Hieroſolymæ in monte Sion attributa, Ordóque Teutonicus ab Henrico Solymæ Rege, probante Pontifice inſtitutus fuit, aſſignata in ſcutum Gentilitium nigra Cruce in albicante area. Magnus Ordinis Magiſter, S. R. I. Princeps, ſeſſionem obtinet præ omnibus Epiſcopis, proximus ab Archiepiſcopo Salisburgenſi. Primus Ordinis Magiſter erat Henricus Walpott à Baſſenheim.

3. Quæ origo 22' Epiſcopatuum Germaniæ?

1. Epiſcopatûs Bambergenſis fundator S. Henricus Imperator, qui primum Epiſcopũ Eberhardum ſuum Cancellarium denominavit A. 1006.

2. Herbipoli S. Bonifacius, Archiepiſcopus Moguntinus circa annum 740. S. Burcardum ad primam infulam Epiſcopalem evexit. Carolus Magnus Cæſar Ducatum Frãconicum huic Epiſcopatui dono adjecit.

3. Wormatiæ jam A. 346. florebat Archiepiſcopatus. Sed An. 744. trãslatus eſt Moguntiam, ut tamen Wormatienſis Epiſcopꝰ eſſe perſeveraret.

4. Epiſcopatum Aichſtadianum S. Bonifacius An. 740 erexit, cui omnium primum præfecit S. Wilibaldum.

5. Spiræ erat ipſo jam An. 346. Epiſcopus nomine Jeſſius, qui cum pluribus aliis Con-

cilio

cilio Colonienſi interfuit. Quod verò Epiſcopi ante ipſum rexerint illam Eccleſiam, incompertũ eſt. Cæterùm Canonici Cathedrales Spiræ, Moguntiæ, Wormatiæ perinde ac in aliis Diœceſibus priſcô illius temporis more juncti in commune vivebant vitã Eccleſiaſticam, donec A. 969. ſeparatim vivere & habitare ſinguli cæperunt.

6. S. Amandus An. 346. Epiſcopatum regebat Argentorati, & ipſe præſens Concilio Colonienſi. Quinam Epiſcopi ante ipſum Pedum Epiſcopale tenuerint, incertum eſt.

7. Anno 594 Conſtantiam Epiſcopatus ex vetuſta, ſed diruta urbe Vindoniſſa eſt trãslatus, cujus primus fuit Epiſcopus Maximus. Hic Epiſcopatus omnium ampliſſimus cenſetur in Germania.

8. Auguſto Vindelicorum tertio ſæculo primus Epiſcopus præſedit S. Dionyſius, ibidem in perſecutione Diocletiani Martyrio coronatus.

9 Epiſcopatum Hildeshemienſem Carolus Magnus fundavit, cui Guntharius omniũ primus præfuit. In tota Saxonia ſub fatali Religionis ſchismate hic ſolus Epiſcopatus in Catholicæ fidei veritate conſtantiam tenuit.

10. Paderbornenſi Epiſcopatui itidem Carolus Magnus initium dedit, & cathedralem quidem Eccleſiam eo in loco condidit, in quo, dum in caſtris Cæſareũ Textorium terræ depangitur, copioſa aquarum ſcatebra ſeſe aperuit, undè totus exercitus fuit recreatus.

11. Epi-

11. Episcopatui Frinsingensi sub Annum 730. interventu Odilonis Ducis Boici, S. Bonifacius S. Corbinianum præfecit.

12. Episcopatus Ratisbonensis sub An. 739 itèm à S. Bonifacio institutus est, primo Episcopo Gaubaldo. Jam ante hunc tamen alii exteri ibidem Episcopi præfuêre, sed absque Episcopatu, & legitima successione. Ejus generis fuerunt An. 640. Paulinus, An. 652. S. Martyr Emmeramus.

13. Episcopatus Laureacensis à Theodone III. Bojariæ Duce An. 634. Bojodurum sive Passavium est translatus, postquam Laureacum ab Hunnis ferro, flammáque vastatum est.

14. Ecclesiæ Tridentinæ Jovinum primũ præfecit Episcopum S. Hermagoras Episcopus Aquilejensis, S. Marci Discipulus. Eundem Episcopatum Theodosius M. & Carolus Magnus, postque hos Conradus II. multis beneficiis cumulârunt.

15. Brixinensi Episcopatui Sabionæ (urbs tunc erat binis circiter milliaribus Brixinâ distans; undè *Episcopatus Sabionensis* vacabatur) sub Annum Domini 350. fundato, præesse cœpit S. Cassianus. S. Albinus verò ineunte sæculo XI. sedem Episcopalem Sabionâ Brixinam transferre statuit.

16. Primus Basileensium Episcopus fuisse traditur S. Pantalus. Sunt tamen, qui præcessisse scribunt Justinianum, aliosq; plures Episcopos, quorum nomina temporum injuriâ interciderunt. Episcopij porrò Basileensis

sedes

sedes post Religionē Catholicam Basileâ, ubi, quatuordecim & ampliùs seculis floruit, exulare jussam, Bruntrutum; Canonicorum verò Cathedralium Arleshemium est translatum.

17. Leodiensis Episcopatus à S. Materno An. 101. Tūgris primùm institutus; indè urbe hac ab Hunnis eversa, Trajectum translatus, ac tandem Leodii stabilitus est.

18. Episcopatum Osnabrugensem à Carolo Magno sub Annum Christi 786. fundatū primꝰ gessit Viso vel Vitho, donec multis pòst seculis per pacta Monasteriensia exemplo ultra sedecim secula inaudito, alterna vice præesse cœpit, nunc Episcopus Catholicus, nūc eo decedente, Princeps Lutheranus, sacra interim curante Archiepiscopo Coloniensi.

19. Monasteriensis (olim Mimigradensis seu Mimigardevordensis) Episcopatus pariter à Carolo Magno An. 788. fundatus, primum veneratur Episcopum S. Ludgerum.

20. Curiensem Episcopatum alii ab ipso S. Petro inchoatum, & à S Lucio continuatum; alii sæculo IV. institutum fuisse perhibent, ex quorum sententia primus Curiæ Episcopus fuit S. Asimo, quem An. 451. Cōcilio Chalcedonensi interfuisse constat.

21. Primus Lausannensiū Episcopus Protasius Clodovæi I. ætate etiamnum superstes fuit An. 717. Urbe porrò, tractuque Lausannensi à Bernatibus An. 1533. occupato, sedes Episcopalis Friburgum Nuithonum translata est.

22. Episcopatum in Valesia primus gessit S. Theodorus, qui an. 381. Cōcilio Aquilejensi interfuit.

4. *Quot Germaniæ Episcopatus facto cum Ecclesia Orthodoxa divortio, profanati fuêre, & alienati?*

Sedecim: duo nempe Archiepiscopatus: Bremensis, quem Carolus Magnus, & Magdeburgensis, quem Otho M. instituit, cum Episcopatibus quatuordecim, nimirum Mindēsi, Verdensi, & Halberstadiano, à Carolo Magno fundatis, Caminensi, itèm, Suerinensi, Raceburgensi, Lubecensi, Misniensi, Merseburgēsi, Naumburgensi, Havelbergensi, Brandenburgico, Lebusiensi, & Schlesvicensi, qui omnes partim Vestphalico, partim Saxonicis Circulis sunt adscripti.

5. *Quæ S. R. I. Præpositurae, & Abbatiæ Principes?*

1. Principem Abbatiam Fuldensem Ord: S. Benedicti an. 744. S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus instituit. 2. Campidunensèm ejusdem Ordinis an. 777. fundavit S. Hildegardis Caroli Magni Augusta Conjunx. Princeps porrò Fuldensis perpetuus Imperatricis *Archi-Cancellarius* est; Princeps verò Campidunensis ejusdem *Archi-Marescallus*. 3. Magnus Equitum Melitensium Prior, idemq; S. R. I. Princeps, cujus sedes Heitershemii in Brisgoja, curat bona Ordinis Melitensis (sæculo XII. instituti) per Germaniam, Bohemiam, & Hungariam &c. 4. Præpositura Elvacensis in Suevia à BB. Hariolpho, &

Erlolpho ejus fratre, Lingonensium Episcopis, anno 764. est fundata, eratquè primùm Abbatia Ordinis S. Benedicti indequè ab an. 1460. Canonicorum sæcularium equestri genere natorum Collegium & Princeps Præpositura. 5. Berchtolsganensem Præposituram Canonicorum Regularium fundârunt anno 1108. duo fratres & Comites Sultzbacenses. 6. Abbatia Prumiensis, à Pipino Caroli Magni parente, Benedictinis primùm, dein an. 1526. Archiepiscopo Trevirensi supremo cum jure ac dominio tradita est. 7. Weissenburgensis Abbatia in Alsatia à Dagoberto Galliæ Rege an. 629. itidem Ordini S. Benedicti, dein an. 1526. Canonicis sæcularibus, ac tandem Episcopo Spirensi est atributa. 8. Abbatia Stabulensis Ord: S. Bened: in Leodiensi Diœcesi primordia sua refert ad annū 657. fundata à Sigeberto Austrasiæ Rege. 9. Abbatiam Corbejensem ejusdem Ordinis in Circulo Westphalico sub annum 822. fundavit Ludovicus Pius, Cæsar. 10. Abbatia Murbacensis & Luderensis Ord: S. Bened: in Alsatia, cui utrique unus idemque Abbas præest, in Comitiis antehac sessione & suffragio gaudebant; sed modò sub Gallica sunt ditione. Fundator erat Eberhardus Alemanniæ Dux anno 724. Principem porrò Abbatiam Hirsfeldensem Hassò Cassèlanus; Saalfeldensem verò Saxo-Saalfeldensis Dux occupavit. Utraque Ordinis S. Benedicti erat.

6. Quæ S. R. I. Principes Antistitæ Catholicæ?

1. Antistia Essendiensis, in Ducatu Montano. Collegii Nobilium Virginum Fundator fuit S. Altfridus Episcopus Hildesiensis sub annum 860.

2. Buchaviensis ad lacum plumarium in Suevia, ubi Sancta Adelindis S. Hildegardis Imperatricis Soror, sæculo VIII. Nobilium pariter Virginum Collegium condidit.

3. Andlaviensis in Alsatia, ubi Principem Nobilium Virginum Parthenonem an. 880. fundavit Richarda, Caroli Crassi Augusta Conjunx.

4. Lindaviensis in urbe Imperiali Lindavia, ubi ineunte sæculo IX. Adalbertus Comes Rhætiæ Curiensis Collegium Nobilium Virginum excitandum curavit an. 866.

5. Ratisbonæ Parthenonem Inferiorẽ ineunte sæculo X. fundavit Juditha Conjunx Henrici I. Bojariæ Ducis.

6. Superiorem verò Parthenonem ibidem condidit Hemma Caroli Crassi Mater sæculo IX.

Abbatiæ porrò Principes Quedlinburgensis, Herfordiensis, Gerenrodensis, Gandersheimiensis &c. ab Ecclesia Orthodoxa descivêre.

§. 7.

De reliquis Principibus S. R. I. Laicis.

I.

I.

Antiquiores Principum Domus.

1. *Quæ origo Ducum Megalopolitanorum?*

Hi originem ducere perhibentur ab antiquissimis Regibus Vandalorum nominatim à Genserico, qui vivebat sæculo V. quorum, uti & sequentium Principum in varias stirpes, ac ramos propagatio ex genealogicis passim tabellis colligi poterit.

2. *Quæ exordia Domûs Wirtembergicæ?*

Orti hi sunt à vetustissimis Dynastis Beutelsbacensibus, quorum quidam sæculo IX. Hildegardem Caroli Magni filiam in matrimonio habuit. Conradus Beutelsbacensis à Cæsare Henrico IV. actus est Comitatu Wirtembergico sub annum 1080. Eberhardus VI. an. 1495. à Maximiliano I. Cæsare primus Wirtembergiæ & Tecciæ Dux salutatus est.

3. *Unde Hassiæ Landgravii oriundi?*

A priscis Brabantiæ Ducibus, qui genus suum referunt ad Pharamundum Franciæ Regem. Henricus Magnanimus Brabantiæ Dux duos reliquerat Flios, Henricum Mãsuetum, & Henricum *Infantem* dictum, quòd jam tũc parente fuit orbatus Igitur hic jure materno (Mater Thuringiæ Landgravia erat.) succeffit in Hassiæ Lãdgraviatu, prioribus Thuringiæ Landgraviis, qui & Hassiæ Domini erant, an. 1247. extinctis.

4. Unde orti Marchiones Badenses?

A priscis Ducibus Zæringensibus, quibus parebat magna pars Helvetiæ, Alsatia, Brisgoja, &c. Quippe Hermannus Marchio Badensis Parentem nactus est Bertholdum I. Zæringæ Ducem circa annum 1050.

5. Quis Ducatûs Holsatiæ Auctor?

Ferunt, Wittekindum conditorem dicti Ducatûs fuisse. Ad nostra tempora si propiùs accedamus, constat, Theodorico *Fortunato*, Comiti Oldenburgico filium fuisse, qui primus Holsatiæ Dux, demum Rex Daniæ fuit. Anno. 1448.

6. Qui Natales Ducum Saxo-Lavenburgicorum, & Principum Anhaltinorum?

Ambo originem referunt ad Electores Saxoniæ, illi quidem ad Albertum anno 1285. hi verò ad Bernardum, filium Alberti Ursi. Stirps Saxo-Lavenburgica exaruit, sed Anhaltina hodiedum floret.

II.

Recentiores Principum Domus.

1. Quando, & à quo Comites ab Aremberg evicti sunt ad Principum dignitatem?

Primus hunc honoris gradum conscendit Joannes Comes ab Aremberg anno 1565. sub Cæsare Maximiliano II.

2. Quinam in Principum Collegium cooptati à Cæsare Ferdinando II.?

1. Vetustissima Comitum Stirps Zollerana, cujus primordia fluunt à Rege Franciæ Pharamundo, dein à Guelphis Altorffii in Sue-

Suevia Comitibus. Principatûs insignia accepit anno 1623. 2. Domûs Lobkowizia, parentiqua Bohemiæ Stirps anno 1624. 3. Domûs Salmensis pervetusta, orta ex Vildgraviis & Rheingraviis, Principatûs nomen obtinuit anno 1622. 4 Comites Dietrichsteinii ex Carinthia 1622. 5. Comites Liechtensteinii anno 1623.

3. Qui verò à Cæsare Ferdinando III. ?

1. Comites Nassovienses anno 1654. 2. Comites Auersbergenses 1653. 3. Comites Frisiæ Orientalis 1654. 4. Piccolomini è nobilissima Hetruriæ familia 1654.

4. Quosnam ad hunc honoris apicem evexit Cæsar Leopoldus ?

1. Landgravios Furstenbergicos antiquissimæ prosapiæ, utpote ex Agilolfingico Stēmate prognatos. Ex his Stirps Heiligenbergensis Principis dignitate aucta est an. 1667. eáque exstinctâ, Domûs Mosskirchensis & Stulingēsis 1716. 2. Comites Schwartzenbergicos ex antiquissimo stemmate Comitū de Seinsheim 1671. 3. Comites Oettinganos jam indè ab Othonis M. ætate florentissimos 1671. 4. Portianos ex Foro Julio 1662. 5. Schwartzburgicos 1697. Domûs porrò Eggenbergica, an. 1623. & Croyensis, anno 1666. in S. R. I. Principum Collegium cooptata, exstincta est.

5. Quî S. R. I. Principes creâti à Josepho I ?

1. Lambergenses 1707. 2. Trautsonii 1711. 3. Lowensteinii 1711. quibus Carolus

lus VI. hodiernus Imperator adjunxit Principes Waldeckenſes.

Obſervationes ad partem primam.

1. In quô Imperii Romano-Germanici felicitas ſita eſt?

In eô, ut membra, ſeu ſtatus Romani Imperii cum ſuô Capite, nempe Cæſare, ſecundùm Imperii ſtatuta, arctiſſimè ſint conjuncti, nec in ſua duntaxat commoda, ſed totius Imperii ſalutem, ex antiqua fidei Germanicæ integritate, unicè ſint intenti.

2. Quæ jura ſupremæ Majeſtatis Cæſareæ?

1. Cæſar ſupremum jus habet in totum Romanum Imperium. 2. Reges, Duces, Principes, Comites, Barones, Nobiles &c. creâre poteſt. 3. Beneficia Imperii clientelaria omnibus Imperii ſtatibus, exacto ab iisdem fidelitatis ſacramento, confert. 4. Academias erigit, aut confirmat. 5. Novas condit civitates, easque peculiaribus favoribus & privilegiis ornat, ut taceam plures alias prærogativas, quas *Regalia* ſeu *Reſervata* Imperatoris vocant.

3. Quid ſunt Imperii Comitia?

Eſt omnium Imperii ordinum Conventus, à Cæſare, monitis priùs per Legatos Electoribus, coâctus, in quô de magni momenti negotiis in Imperii emolumentum deliberatur, & conſultatur.

4. Quæ Comitiorum Methodus?

1. Imperator, aut ejus Legatus (vulgò

Prin-

Principalis Commissarius) res deliberandas proponit. 2. Harum capita scripto traduntur tribus Statuum Collegiis. 3. Præstituta die Collegia singula, in suo quodque senaculo, congregata, consilia ineunt, privatimque suum ferunt suffragium, Principes quidem viritim, imò & reliqui; ità tamen, ut horum posteriorum suffragia nonnisi pro numero classium seu subselliorum supputentur, ùt suprà dictum est pag. 26. & 28. 4. Hac consultatione finita, Collegia Electorum & Principum in unum conveniunt locum, & suffragia seorsum lata in commune conferunt. Indè advocatis quoque civitatum Delegatis suam aperiunt, ac eorum vicissim exquirunt sententiam, in quam si plures iverint, hæc Cæsari probanda offertur, qui approbandi aut reprobandi jus habet, etiamsi omnes cōcordâssent. Quòd si ordinum sententiam ratam habuerit Cæsar, hæc in tabulas relata, post Cæsaris, Ordinumque subscriptionem constitutio seu *Recessus* Imperii appellatur, vimque legis obtinet. Variantibus porrò Ordinum sententiis, de integro repetitur consultatio, disquiriturque: num qua ratione omnium, aut plurium saltèm consensus obtineri possit? Sin minus; suffragia, ut ùt discordantia, cum Cæsare tamen communicantur, cujus solius est decretoriam pronuntiare sententiam.

5, *Quis Comitiorum ingressus?*

Si Cæsar ipse præsens, hunc Electores è

pala-

palatio ad Templum comitari antehac consuevêre hoc ordine.

	Trevirensis.	
Brandenburgus cum Sceptro.	*Bavarus cum Imperii Pomo.*	*Palatinus cum Corona.*
	Saxo cum Gladio.	
Moguntius	*Imperator.*	*Coloniensis.*
	Bohemus.	

In Templo pro auspicato Comitiorum successu solemne fit Missæ Sacrificium. Quo peracto ad locum Comitii destinatum disceditur.

6. Quis ibidem sedendi ordo?

Cæsar solio insidet tribus gradibus distincto, sub conopeo. Electorum sedes duobus, Principum uno gradu attollitur. Ordo est sequens;

	Imperator.	
Maguntinus	*Rex, si quis est,*	*Trevirensis,*
Bohemus.	*Romanorum, è*	*Coloniensis,*
Bavarus.	*regione Cæsaris.*	*Saxo.*
Brandenburgus.		*Palatinus.*
Brunsvicensis.		
Archidux Austriæ. Principes Ecclesiast. & Abbates.	*Antistites Augustanæ Conf.*	*Principes laici. Comites.*
	Delegati Civitatum.	

7. Quô demum modô terminantur Comitia?

Quæ in his decreta fuêre, summatim comprehensa in membranas seu tabulas referuntur, Cæsareq; & Statibus præsentibus, à Moguntino, Imperii *Archicancellario*, recitantur, ad

ad quæ exequenda Imperator Ordines paucis cohortatur, sicque Comitiis finis imponitur.

8. *Cur Imperii Comitia: Ratisbonæ adhuc fieri solita, dicuntur continua?*

Quia jam indè à 20 Januarii anni 1663. in hanc usque diem perdurant. His semper è S. R. I. Principibus. Cæsaris vice ac nomine præest Legatus, seu *Principalis*, ùt vocāt, *Commissarius*. Cæterorum pariter Ordinum delegati suorum quisque Dominorum nomine Imperii negotia tractanda suscipiunt.

9. *Quæ Electorum munia primaria?*

Tres Electores Ecclesiastici sunt S. R. I. Archicancellarii, utì suprà c. 3. meminimus. Bohemꝰ est Archipocillator, Bavarus Archidapifer, Saxo Archimarescallus, Brādenburgus Archicameratius, Palatinus Archithesaurarius.

10. *Quid sibi volunt officia hæreditaria?*

Singuli Electores singulos habent muneris sui vicarios, qui absentium vices expleant, hancquè dignitatem jure hæreditario semper retineant; undè officia *hæreditaria* appellantur. Comites Althanenses sunt hæreditarii S. R. I. Pocillatores, Comites Valdburgenses Dapiferi, Comites Pappenheimii Marescalli, Principes & Comites Zollerani Cāmerarii, Comites Sinzendorffii Thesaurarii.

11. *Quandonam Germaniæ Episcopi cum Abbatibus quibusdam appellari cœperunt S. R. I. Principes?*

Quamvis hi jam indè à Caroli Magni tem-

poribus ad Imperii Comitia convenerint; Principis tamen titulum iisdem jam tunc fuisse adscriptum haud satis constat. Id verò exploratum habemus, à Cæsare Othone M. ejusquè successoribus quàm plurimos nominatos fuisse S. R. I. Principes Ecclesiasticos. Hodie Germaniæ Episcopi à Cathedralium Canonicorum senatu eliguntur, qui à summo dein Pontifice inaugurantur, à Cæsare verò tanquam S. R. I. Principes in fidē & clientelam recipiuntur.

12. Num hæc dignitatis accessio detrimenti quid attulit Imperio?

Id nonnisi heterodoxi, jurati Ecclesiæ Catholicæ, & Sacerdotii hostes pro more suo comminiscūtur; quippe omnibus notum est-Principes Ecclesiasticos ex fundis clientelaribus ad communia Imperii onera ferenda sociam conferre operam, suisquè suffragiis in Imperii Comitiis nihil adhuc detrimenti, emolumenti verò plurimum attulisse Reipublicæ.

13. Quando S. R. I. Principes laici fuêre instituti?

Caroli Magni temporibus Provinciæ pleræque omnes vicario nomine administrabantur. At stirpe Carolina exspirane, Præfecturæ hæ factæ sunt hæreditariæ.

14. Ecquod discrimen Comites inter Palatinos, Marchiones, Landgravios, & Burggravios?

Olim Comites Palatini Palatii Cæsarei, Marchiones limitum Imperii, Landgravii

Provinciarum, Burggravii castri Cæsarei, seu Regiæ (quales tunc pluribus in locis habebant Imperatores) Præfecti erant ac Prætores.

15. Quæ origo Comitum, Equitum, & urbium Imperialium?

Comites secundùm etymon Latinum indè appellati fuisse videntur, quòd Imperatores & Reges suos, quorum supremi erant Præfecti, & Aulæ Ministri, *comitari* ùt plurimùm consveverint. Secundùm etymon verò Germanicum nomen traxisse videntur à *Canis*, sive *canitie*, quòd Reges, Ducesquè Germanorum olim in supremos Aulæ Ministros, judiciorum Præsides, locorũ Præfectos, &c. non alios plerumque sibi delegerint, quàm qui prudentiâ, doctrinâ, virtute, usu, & experientiâ, ac proinde ætate & *canitie*. venerabiles omnibus erãt, ac spectabiles. Et quamquam dignitas hæc hæreditaria non erat; filii tamen, si modò idonei censebantur, raro à successione excludebantur. Deficiente porrò Caroli stemmate. hæc quoque munia, utì plura alia, antiquata fuêre. Comitum nihilominus & nomen & dignitas ad posteros est propagata. Undè sensim non pauci ob potentiæ & auctoritatis prærogativam Imperii Ordinibus sunt adscripti; quos inter Liberi quidam *Barones* idem cum Comitibus sessionis ac suffragii jus obtinent. 2. Nobiles Imperii jam indè à Caroli M. temporibus inclaruêre, Imperii quondam Statibus annumerati.

rati cum jure sessionis & suffragii, quo tamen hodie carent. Dividuntur in tres classes; nempe in Suevicam, Franconicam, & Rhenanam. 3. Civitates Imperiales diutini potissimùm illius Interregni, & Caroli IV. tempore in libertatem sese asseruêre.

16. Quid est Imperii Matricula?

Est album sive index, ubi non solùm Imperii Statuū nomina singula descripta sunt; sed insuper designatur, quid, quantumvè cuivis statui ad communes Imperii expensas sit contribuendum.

C A P U T IV.

De Circulis Imperii Germanici.

I.

Circulus Austriacus.

1. Quæ Religiones hoc circulo continentur?

I. Archiducatus Austriæ, qui dividitur in superiorem, & inferiorem. Hæc infra, illa supra Anasum est. Mediam interfluit Danubius, cui Anasus infra urbem cognominem se miscet. Austriæ inferioris totiusquè Imperii Germanici, metropolis est Vienna, Imperatoris Regiâ, Archiepiscopatu, Academiâ, propugnaculis, &c. longè celeberrima.

II. Ducatus Styriæ, in superiorem & inferiorem divisus. Inferioris totiusquè Ducatûs Caput est Græcium ad Muram amnem, arce, propugnaculis, Academiâ, &c. celebris. In superiore Styria est Judenburgum, Seccovium

vium Episcopi sedes, Mariæ Cella, cœlestib9 favoribus, & prodigiis celebratissima. Ducatui quoque huic annexus est Comitatus Cillejēsis, cujus urbs primaria Cilleja ad Savum.

III. Ducatus Carinthiæ, superior, & inferior, ubi Episcopus Gurcensis, & Lavantinus. Urbs princeps est Clagenfurtum.

IV. Ducatus Carniolæ, cujus caput Labacum Episcopi sedes. Memoratu dignus est Lacus Circonicensis, ubi anno eodem & piscari, & frumentari, & venerari licet, aquis ingruente hyeme cum magna piscium copia ex abdito prosilientibus; appentēte verò æstate recedentibus. Huc referenda quoque sunt 1. Marchia Vinidorum, cujus caput Metulum in Croatiæ limitibus. 2. Comitatus Goritiensis, cum urbe cognomine. 3. Comitatus Gradiscanus, Comiti de Althann jure beneficiario traditus. 4. Aquileja urbs olim percelebris, hodie in solitudinē propè redacta. 5. Tergestum urbs Istriæ cum portu. 6. Flumen *Fiume*, seu Flumen S. Viti, urbs ad sinum Carnarium.

V. Comitatus Tyrolensis, in Provinciam Athesianam, vallemquè Oenanam distinctus, cujus Metropolis est Oenipontum, ubi & Academia. Olim Merania Ducum Meraniæ Sedes erat. Bollanum solemnibus nūdinis, Hala salinîs, officinâ monetariâ, regio Parthenone celebris est. Sunt itèm in hoc Comitatu duo Imperii Principes, & Episcopi, Tridentinus, & Brixinensis, quorū; ille Tri-

den-

denti, hic Brixinæ ſedem habet Epiſcopalem.

VI. Auſtria anterior, ſive Suevia Auſtriaca, ubi 1. Marchionatus Burgovienſis cum urbe cognomine, & Günzburgo. 2. Comitatus Montfortenſis Brigantinus itèm & Veldkirchenſis, quorum ille ab urbe primaria Brigantia, hic à Veldkirchio nomen trahit. 3 Dynaſtia Nellenburgica cum arce cognomine. 4. Comitatus Hohenbergenſis, ubi Rottenburgum ad Nicarum. 5 Urbs Conſtantia. 6. Præfectura Provincialis Suevica, plures urbes, & oppida complectens. 7. Briſgoia, cujus caput Friburgum, urbs municiſſima, ubi & Academia; itèm Briſacum fortiſſimũ adversùs Gallos propugnaculum. 8. Quatuor urbes Sylveſtres Rheno-felda, Seckinga, Lauffenburgum, & Waldishutum, quibus accedit Comitatus Hauenſteinenſis.

2. *Quis Circuli Auſtriaci Director ?*

Imperator ipſe tanquam Archidux Auſtriæ.

3 *Quæ ibidem Religio ?*

Avita ubiq; Religio Catholica nunc floret.

4. *Quæ aliæ inſuper Regiones Domui Auſtriacæ ſunt ſubjectæ ?*

I. Bohemiæ Regnum in decem & octo Circulos diſtributum, cujus Metropolis Praga ad fluvium Moldavam ſita, ſede Archiepiſcopali, arce Regia, Academiâ, &c. præſignis, *Triurbs* dicta, quòd ex *Nova*, *Vetere*, & *Parva* Praga conſtet.

II.

II. Moraviæ Marchionatus à Morava amne, à quo in duas ferè partes dividitur, nomen trahens. Urbes præcipuæ sunt Olomucium, ubi Episcopalis sedes, & Academia, & Bruna à Suecis An. 1645. irrito conatu obsessa.

III. Silesiæ Ducatus superior, & inferior in decem & septem Principatus, & sex Dynastias divisus. Totius Silesiæ Metropolis est Vratislavia, ubi sedes Episcopalis, & Academia, à Leopoldo I. fundata.

IV. Serviæ Regnum, cujus Metropolis Alba Græca An. 1717. post insignem de Turcis relatam victoriam recuperata est cum urbibus Orsava, Semendria, Passarovicio, &c.

V. Sclavoniæ Regnum, cujus urbes præcipuæ Posega, Esseckium, Gradisca, Petrovaradinum, &c. cum Comitatu Sirmiensi, urbeque cognomine, ubi Episcopi sedes.

VI. Croatiæ Regnũ, cujus pars etiamnum sub jugo Turcico gemit. Urbes præcipuæ sunt: Carolostadium, Zagrabia, ubi Episcopi sedes, & Academia, Castanovicium, &c.

VII. Dalmatiæ Regnum, ex quo etiam Veneti, Turcæ, & Respublica Ragusana sibi partem vindicant. Austriacis subest 1. Urbs Senia, ubi Episcopi sedes, & portus ad sinũ Carnarium, vulgò *Carnero*. 2. Buccaris urbs, ubi portus insignis, mercimoniis recens destinatus.

VIII. Bosniæ Regni pars, Savi ripis adjacens, Austriæ cessit pactis Passarovicensibus. IX. De Hungaria, X. & Transylvania. XI & Belgio Austriaco infrà dicetur. In Italia Austriacis subest.

XII. Neapolitanum Regnum, quod etiam Regnum Siciliæ cis Pharum, seu fretum, Siculum, dicitur, in quatuor majores, atquè universè in duodecim Provincias distributum, regio fertilis admodum & culta, atquè ab Apennino monte in duas ferè partes secta. Regni Metropolis est Neapolis, urbs amplissima, & frequētissima, Archiepiscopi, & Proregis sedes. Sunt in hoc regno Archiepiscopatus 20 Episcopatus 107. & urbes 1580.

XIII. Sicilia, seu regnū Siciliæ trans Pharū, tribus promōtoriis terminatur; unde & Trinacria à *treis, tres,* & *akra græca voce summitas, promontorium,* dicitur, dividiturquè in tres Provincias seu valles. Urbes præcipuæ sunt Messina Proregis sedes, & Panormum. Utrobique Archiepiscopus Sacris præest. Vino, frumento, fructibus, &c. ità abundat, ut Italiæ horreum ac promptuarium jure appellari possit.

II.

Circulus Bavaricus

1. Quinam circuli hujus Director?

Elector Bavarus (qui & circuli Dux) & Archiepiscopus Salisburgensis.

2. *Quæ*

2. *Quæ Regiones Electori Bavaro subjectæ?*

1. Ducatus Bavariæ in superiorem, & inferiorem divisus. Superioris, totiusquè Bavariæ Metropolis, & Electoris sedes est Monachium ad Isaram; dein Burghusium ad Salzam, ubi *Regimen*, ut vocant, Electorale, Ingolstadium ad Danubium, ubi Academia, Landsperga ad Lycum, Neo-Oettinga ad Oenum. Indè haud procul abest Oettinga vetus, sacris peregrinationibus ad Thaumaturgam Deiparæ statuam à mille amplius annis longè latequè celebratissima. In inferiore Bavarià eminent urbes Landishutum, & Straubinga cum Electorali utrobiq; *Regimine*, Ratisbona itèm, Regum olim & postea Ducum Bavariæ sedes, &c. 2. Palatinatus superior, cujus Metropolis cum Electorali *Regimine* est Amberga. 3. Landgraviatus Leuchtembergensis cum urbe Pfreimbda. 4. Comitatus Cambensis, Breitenekensis, &c. 5. In Suevia, Dynastia Mindelhemiensis, Comitatus Wisensteigensis, Donawerda, urbs olim Imperialis, Wemdinga, &c.

3 *Quinam in hoc Circulo status Ecclesiastici?*

I. Archiepiscopus Salisburgensis, Legat9 Pontificius natus, Germaniæ Primas, &c. Metropolis sedesq; Archiepiscopi est Salisburgum, ubi & Academia. II. Episcopus Frisingensis. Urbs sedesque Episcopalis est Frisinga. III. Episcopus Ratisbonensis, cujus Diœcesis olim latè per Bohemiam protendebatur. Sedes Episcopi est Ratisbona. IV.

Episcopus Passaviensis. Urbs sedesq; Episcopi est Passavium seu Patavia, quadrifariam divisa, nempe in Passavium, Instadium, Ilzstadium, & Oberhusium. V. Princeps Præpositus Berchtolsgadensis, Canonicorum Regularium S. Augustini, cui urbs Berchtolsgada cum adjacente tractu subest. VI. Principes Antistitæ *Monasterii*, ùt vocant, inferioris, & superioris Ratisbonæ. VII. Abbates, Cæsareensis, & ad S. Emmerami Ratisbonæ.

4. *Qui reliqui status sæculares?*

I. Dux Neoburgicus, cujus Ducatus hinc quidem juxta Danubium, ubi Neoburgium, Ducis sedes, Lavinga, Hochstadium, &c. illinc verò per Palatinatum superiorem, ubi Schwandorffium, Hilpoltsteinium, &c. porrigitur. II. Dux Sulzbacensis è Domo Palatina Neoburgica, cujus sedes est Sulzbachium in Palatinatu superiore, &c. III. Princeps Lobkowicius, ob Comitatum principē Sternsteinensem in superiori itidem Palatinatu. IV. Comites, Hohenwaldekensis, & Maxelrainius in superiore, & Ortemburgicus in inferiore Bavaria. Comitatum porrò Sulzbergensem in Palatinatu superiore Comites Volfsteinenses, nuper exstincti, possedêre. V. Urbs Imperialis Ratisbona.

5. *Quæ in hoc circulo Religio?*

Ubique Catholica, si paucos illos exceperis, qui in Comitatu Ortemburgico, & Sulzbergensi, urbeq; Ratisbona ab avita Orthodoxaq; Religione descivêre.

III.

Circulus Suevicus.

1. Qui status Ecclesiastici in hoc Circulo?

I. Episcopus Constantiensis, cujus Diœcesis longè olim lateque patens, hæreticorũ postea ab ovili Christi secessione haud parùm fuit diminuta. Sedes Episcopalis est urbs Marisburgum trans lacum Constantiensem. II. Episcopus Augustanus, cujus sedes Episcopalis alias in urbe Dilinga, ubi Academia. III. Episcopus Curiensis, magnîs olim abundans proventibûs; qui tamen post Grisonũ à vera fide defectionem plurimùm fuêre accisi. Sedes Episcopi est Curia, urbs Rhætiæ primaria. IV. Princeps Abbas Campidunensis Ord. S. Benedicti, qui perpetuus est Imperatricis *Archi-Marescallus*. Principis territorium est in Algoja circa Ilarum amnem. V. Princeps Præpositus Elvacensis, cujus est Elvacum urbs cum circumjacente tractu VI. Præpositi, & Abbates 1. Ord. S. Augustini Canonic: Regular. Vettenhusanus. 2. Ord. S Benedicti Elchingensis, Gengenbacensis, Irsingensis, seu Ursinensis, Isnensis, Ochsenhusanus, Ottoburanus, Petershusanus, SS. Udalrici, & Afræ Augustæ Vindel. Veingartensis, Zwifaltensis. 3. Ord: Cirsterc. Salemitanus. 4. Ord: Præmonstr. Marchtalensis, Rodensis, Roggenburgensis, Schussenriedesis, Urspergensis, Veissenaviensis, sive Augiæ minoris. VII. Principes Antistitæ no-

bilium Virginum, Buchavienſis ad lacum Plumarium, & Lindavienſis in urbe Imperiali Lindavia. VIII. Antiſtitæ Bainrenſis, Guttencellenſis, Hegenbacenſis, & Rubromonaſterienſis, Ordinis omnes Ciſtercienſis.

2. *Qui ſtatus ſæculares?*

I. Dux Vurtembergicus, cujus ſedes urbsque primariã eſt Sturgardia. II. Marchiones Badenſis, & Duralcenſis. Badenſi Marchionatus ſuperior, cujus urbes primariæ Badena, Raſtadium, &c. Durlacenſi verò ſubeſt Marchionatus inferior, ubi Durlacũ, Pforzhemium, &c. Marchionatus ſuperior religioni adhæret Catholicæ: inferior Lutheranæ, uti & Vurtembergiæ Ducatus. III. Principes Hohenzolleranus, Hechinganus, & Sigmaringanus, Religionis uterque Catholicæ. IV. Principes Furſtenbergenſes, Moskirchenſis, & Stulingenſis, itidem Catholici. V. Princeps Oettinganus, qui ſolus ex antiquiſſima hac familia Luthero adhæret. VI. Præter Comites Oettinganos, in tres ſtirpes Vallerſteiniam, Spilbergicam, & Balderanam diviſos. Circulo huic adſcripti ſunt Comites Fuggeri, Graveneggii, Gohenemſii, Juſtingenſes, ſive Freybergii, Konigseggii, Montfortu, Pappenheimii, Rechbergii, Truchſeſſii de Valdburg, Volfegg, Zeil, &c. VII. Urbes Imperiales Catholicæ ſunt: Buchavia, Buchornia, Cella, Gamundia, Gengebachium, Offenburgum, Pfullendorffium, Rotwila, Uberlinga, Vangena, & Vila. Mixtæ

Re-

Religionis: Augusta Sueviæ Metropolis, Biberacum, Dunckelspihla, Kauffbura, Leutkirchium, & Ravenspurgum. Lutheranæ: Alena, Bopfinga, Campidunum, Esslinga, Gienga, Hala, Heilbrunna, Isnia, Lindavia, Meminga, Nordlinga, Reutlinga, Ulma, & Vimpina.

3. *Qui Circuli hujus Directores?*

Episcopus Constantiensis, & Dux Vurtembergicus, qui & Circuli Dux est.

IV.

Circulus Rhenanus Superior.

1. *Qui Status Ecclesiastici?*

I. Episcopus Vormatiensis II. Episcopus Spirensis. III. Episcopus Argentoratensis. IV. Episcopus Basileensis, qui postquam Basileâ veram Religionem abjuravit, Bruntruti sedem fixit Episcopalem. Episcopatus porrò Metensis, Tullensis, & Virodunensis pridem Gallis cessêre. V. Princeps Abbas Fuldensis, Ord: S. Benedicti, perpetuus *Archi-Cancellarius* Imperatricis, & Abbatum per Germaniam, & Galliam *Primas.* Principis porrò Abbatiæ Prumiensis possessionem pridem adiit Elector Trevirensis. VI. Magnus Equitum Melitensium *Prior* per Germaniam, cujus sedes est Heitershemii in Brisgoia VII. Princeps Antistita Andlaviensis in Alsatia inferiore.

2 *Qui status sæculares?*

I. Comites Palatini Rheni, Bipontinus, &

Bircefeldenſis. Comitatus porrò Veldentianus, & Simmerenſis ſub Electoris Palatini ditione eſt. II. Landgravii Haſſiæ, quadrifariam diviſi, nempe in Caſſelanos, Darmſtadianos, Rhenofeldenſes, & Homburgenſes. Haſſo-Caſſelanus poſſidet 1. potiorem Haſſiæ inferioris partem. 2. In Haſſia ſuperiore Marpurgum, aliaſque urbes. 3. Principatum Hirſchfeldiæ, inſignem olim Abbatiam, &c. Haſſo Darmſtadianus potiſſimam Haſſiæ ſuperioris partẽ obtinet cum urbe Giſſa; Comitatum itèm Cattimelibocenſem ſuperiorẽ, cujus Caput Darmſtadium. Haſſo-Rhenofeldenſis tenet Comitatum Cattimelibocenſem inferiorem; in Haſſia verò inferiore Rottemburgum, Landgravii Rottemburgenſis,& Vanfridam, Vanfridenſis ſedem, &c. Haſſo-Homburgenſi ſubjecta eſt urbs Homburgum in Haſſia ſuperiore. III. Principes Naſſoviæ, in ſex ramos diviſi, nempe in Dietienſem, Dillemburgenſem, Hadamarienſem, Idſteinenſem, Sigenenſem & Uſingenſem, cum Comitibus Sarbrukenſibus, Ottweileranis, & Viburgenſibus. Omnes hi nomen ducunt à Principatu urbeque primaria Naſſovia, ſuntque partim Catholici, partim Acatholici. IV. Princeps Comitatus Montis Bellicardi, Duci Vurtembergiæ ſubjectus. V. Princeps Salmenſis, & Princeps Valdecenſis. Comes itèm Hanovienſis, cujus eſt Hanovia, ampla, munitaque Vetteraviæ urbs. VI. Comites Hazfeldenſes, Iſenburgici, Leiningenſes, Saynenſes

nenſes, & Virgenſteinenſes, Solmenſes, Viedenſes, Vild- & Rheingravii, &c. VII. Urbes Imperiales Vormatia, Spira, Fridberga, Vezlaria, Gelnhuſium, & olim Argentina, aliæque Alſatiæ urbes, nunc Gallicæ omnes ditionis. Duces quoque Sabaudiæ, & Lotharingiæ Circulo huic ſunt adſcripti.

3. Qui Circuli hujus Directores?

Epiſcopus Vormatienſis, & Landgravius Haſſo-Caſſelanus.

V.

Circulus Rhenanus inferior, ſeu Electoralis.

1. Qui Circuli hujus ſtatus Eccleſiaſtici?

I. Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus, qui poſſidet 1. ditionem Moguntinam. 2. Stradiam Montanam. 3. Eisfeldiæ tractū. 4. Erfordiam, Thuringiæ Metropolim cum tractu adjacente. 5. Frislariam, Ameneburgum, &c. in Haſſia inferiore. 6. Aſchaffenburgum, Gerreshemium, &c. II. Archiepiſcopus, & Elector Trevirenſis, cujus præter Treviros, Metropolim, eſt Confluentia, ubi Moſella Rheno jungitur, Veſalia ſuperior, Prumia cum Abbatia Saburgum, &c. III. Archiepiſcopus, & Elector Colonienſis, cujꝰ ſedes Electoralis Bonna. Idem præter alia poſſidet quoque Veſtphaliæ Ducatum.

2. Qui ſtatus ſæculares?

I. Elector Palatinus, cui ſubeſt 1. Palati-

natus

natus Rhenanus, ſive inferior. 2. Ducatus Neoburgicus in Circulo Bavarico. 3. Ducatꝰ Juliacenſis, & Ducatus Montanus cum Dynaſtia Ravenſteinenſi in Circulo Veſtphalico, &c. II. Princeps Arembergicus, cujus Principatus urbsque Aremberga in Eiffalia. III. Comites Sleidani, Manderſcheidenſes, Reifferſcheidenſes, & Virneburgēſes, omnes itidem in Eiffalia.

3. Quis Circuli hujus director, & Dux?

Director eſt Elector Moguntinus, Dux verò Elector Palatinus.

IV.

Circulus Veſtphalicus.

1. Qui Status & Ordines Eccleſiaſtici?

I. Epiſcopus Monaſterienſis. II. Epiſcopus Leodienſis. III. Epiſcopus Paderbronenſis. IV. Epiſcopus Oſnabrugenſis. Verdenſem porrò Epiſcopatum Suecus primùm, ac nuper Hannoveranus; Mindenſem verò Brandeburgus occupavit, profani utrumqꝫ juris factum in pacificatione Veſtphalica. V. Abbates, Principes Corbejenſis, & Stabulenſis. Abbas itèm Verdenſis, & Cornelienſis. VI. Princeps Antiſtita Eſſendienſis, & Abbatiſſa Burſcheidenſis. Princeps porrò Antiſtita Herfordienſis Calvino adhæret.

2. Qui ſtatus ſæculares?

I. Dux Juliacenſis. II. Dux Montenſis. III. Dux Clivenſis. Ducatum Juliacenſem, & Ducatum Montenſem, cujus Metropolis Duſ-

Dusseldorpium, Possidet Elector Palatinus; Clivensem verò cum Comitatu Marchiæ, & Comitatibus Ravensbergensi, Lingensi, &c. Elector Brandeburgicus. Vastphaliæ porrò Ducatus Electori Coloniensi est subjectus. IV. Princeps Frisiæ Orientalis. V. Comites Bentheimenses, Bronchorstii, Lippienses, Reckheimenses, Styrumii, Tecklenburgici, Vehlenses, &c. Plures alios Circuli hujus Comitatus possident Rex Daniæ, Luneburgici, Hassi, &c. VI Urbes Imperiales, Colonia, Aquisgranum, Tremonia.

3. *Qui Circuli Directores?*

Episcopus Monasteriensis, & Dux Juliacensis cum Clivensi alternatim.

VII.

Circulus Franconicus.

1. *Quinam status Ecclesiastici?*

I. Episcopus Bambergensis, cui & in Carinthia loca quædam subjecta sunt. II Episcopus Herbipolensis, qui & Dux Franciæ Orientalis III. Episcopus Eustadianus. Urbs Princeps est Eustadiū ad Almonum amnem. IV. Magister Equitum Teutonicorum, cujus sedes est Mergenthenii ad Tuberum amnem, postquam Equites Teutonici ex Borussia commigrare sunt compulsi.

2. *Qui status sæculares?*

I. Marchio Byruthanus, seu Culembacensis. II. Marchio Onoldinus, sive Anspacēsis, Uterque hic Marchionatus Luthero adhæret.

hæret. III. Princeps Schwarzcergensis, & Princeps Lowensteinius, sive Verthemiēsis. Princeps porrò Comitatus Hennebergicus inter Saxoniæ Duces est divisus, excepta Smalcaldica urbe, quæ Hasso-Casselano cessit. IV. Comites Castellani, Drenbacenses, Erpacenses, Limburgenses, Hohenloici; Reinecani, Schœnbornii, &c. V. Urbes Imperiales Norimberga, Francofortū ad Mœnum, Schweinfurtum, Rottenburgū ad Tuberum, Veissenburgum, & Vinshemium.

3. Qui Circuli Directores?

Episcopus Bambergensis, & Marchio Byruthanus, qui & Circuli Dux est.

VIII.

Circulus Saxoniæ superioris.

1. Qui Circuli hujus Directores?

Elector Saxoniæ (qui & Circuli Dux) & Elector Brandeburgicus.

2. Quæ Provinciæ Electori Saxoniæ subjectæ?

1. Saxonia propria, sive Electoralis in septem Circulos, Electoralem nempe, Thuringicum, Misniensem, Lipsiensem, Montanum, Voitlandicum, & Neustadianum divisa. 2. Lusatia superior, &c. Electoris sedes est Dresna ad Albim.

3. Quid in hoc Circulo Elector Brandeburgicus possidet?

1. Marchiam Brandeburgicam, quæ in *Veterem, Novam Mediam, & Ukeranam, &c.* distribuitur. 2. Pomerianam ulteriorem, partem-

temque citerioris, cum principatu (olim Episcopatu) Caminensi, aliisque. Electoris sedes est Berolinum ad Spreham amnem.

4. *Qui status Ecclesiastici?*

Florebant olim in hoc Circulo Episcopatus Misnensis, Merseburgensis, Naumburgēsis, Brandeburgensis, Havelbergensis, Caminensis, & Lebusiensis. Abbatiæ itèm Principes Saalfeldensis, Quedlinburgensis, & Gerenrodensis, &c. nunc profani omnes juris. Nam Misnensem, Merseburgensem, & Naūburgensem Episcopatum cum Abbatia Saalfeldensi Saxoniæ Duces; reliquos verò Episcopatus Elector Brandeburgicus occupavit. Quedlinburgense, & Gerenrodense cœnobiū Abbatissæ, ùt vocāt, Lutheranæ incolūt, ut plura alia monasteria silentio involvam.

5. *Qui reliqui status sæculares?*

I. Saxoniæ Duces, Veissenfelsenses, Merseburgenses, Vinarienses, Isenacenses, & Gothani in plures ramos divisi. II. Principes Anhaltini, Dessavienses, Bernaburgenses, Cœthenses, & Servestenses. III. Principes Schwarzburgici, Sondershusiani, & Rudelstadiani: Princeps itèm Fūdanus, qui Mansfeldiæ Comes, Catholicus. IV. Comites Barbienses, Gleichenses. Hohensteinii, Reussenses, Schœnburgici, Stolbergenses, &c.

IX.

Circulus Saxoniæ inferioris.

1. *Qui Circuli hujus Directores?*

Archiepiscopi Magdeburgensis, & Bre-

mensis, in quorum locum succesſêre Electores; Brandeburgicus, & Hannoveranus.

2. *Quæ Electoris Hannoverani Provinciæ?*

1. Ducatus Luneburgicus, & Lavenburgicus. 2 Principatus Calenbergensis, sive Hannoveranus, ubi Hannovera, Electoris sedes. 3. Principatus Grubenhagensis, &c. præter Ducatum (olim Archiepiscopatum) Bremēsem, &c

3. *Qui status, sive Ordines Ecclesiastici?*

Ex tot Circuli hujus Episcopatibus, Magdeburgensi nempe & Bremensi, Halberstadiano, Sverinensi, Slesvicēsi, Lubecensi, & Raceburgensi solus Hildesiensis in pristina Juris, & Jurisdictionis sacræ possessione, fideq; Orthodoxa ad huc persistit, posteaquam in pacificatione Vestphalica Archiepiscopatus Magdeburgicus cum Episcopatu Halberstadiano Electori Brandeburgico; Archiepiscopatus Bremensis Sueco primùm, ac pronuper Hannoverano; Episcopatus Sverinensis, & Raceburgensis Ducibus Megalopolitanis cesſêre. Episcopatum porrò Lubecensem Princeps Lutheranus ex Holsatiæ Ducibus Gottorpianis, quem Episcopum vocant, administrare solet; Slesvicensem verò Rex Daniæ tenet.

4. *Qui reliqui status sæculares?*

I. Dux Guelpherbytanus, cujus est Ducatus Brunsvicensis, &c. Domus itèm Beverana, & Blanckemburgensis ex eadem Ducum familia. II. Duces Megalopolitani, Sverinensis, & Strelitiensis. Sverinensis possidet Ducatum Megalopolitanum, Principatum Vandaliæ, & Comitatum Sverinensem, Rostochiense Dominium cum urbe Rostochio; Strelitiensis verò Principatum Raceburgēsem, & Dominium Stargardiense, &c. III. Dux Slesvicensis, & Dux Holsatiæ. Uterq; hic Ducatus inter Daniæ Regem, Ducemq; Holsatiæ est divisus. IV. Urbes Imperiales Hamburgum, Lubeca, Brema, Goslaria, Mülhusium, & Nordhusium.

CONTINUATIO MONARCHIÆ ROMANÆ,

ad nostra usque tempora.

POstquam Imperatores ethicos, qui primis tribus à Christi ortu sæculis Imperii habenas moderabantur, opusculo secundo sumus complexi, Imperatores Christianos à Constantino Magno ad Franciscum I. hodie gloriosissimè imperantem, sexto hoc opusculo recensebimus, quod in quatuor distribuimꝰ partes. Prima continet Romanorum Imperatores à Constantino M. usque ad collapsum aliquamdiu Occidentis Imperium. Altera Romanorum Imperatores Græcos usque ad instauratum à Carolo M. ejusdem Occidentis Imperium. Tertia Romanorum Imperatores Germanos, à Carolo Magno, usque ad Rudolphum I. Quarta Romanorũ Imperatores Germanos, maximam partem Austriacos, à Rudolpho I. ad Carolum IV. Pium, Felicẽ, Augustum.

Harum quatuor partium Epochas sic habeto.

	Ann. C.
Initium Imperii Constantini M.	306.
Imperium Ocidentis collapsum.	475.
Idem instauratum à Carolo M.	800.
Rudolphus I. Habsburgicus, Imperator. renunciatus.	1237.

Parti-



Partitio hujus Opuſculi.

PARS I.

Romanorum Imperatores Chriſtiani à Conſtantino M. usque ad collapſum aliquandiu Occidentis Imperium.

CAPUT I.

Imperatores Sæculi IV.

Conſtantinus M.
Conſtantinus II. Conſtans & Conſtantius.
Julianus Apoſtata.
Jovianus, ſive Jovinianus.
Valentinianus I. & Valens.
Gratianus, & Valentinianus II.
Theodoſius Magnus.
Arcadius & Honorius.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi V.

Theodoſius II. Junior.
Valentinianus III.

PARS II.

Romanorum Imperatores Græci in Oriente usque ad Carolum M.

CAPUT I.

Reliqui Imperatores Sæculi VI.

Martinus.
Leo II.
Anaſtaſius.
Leo I.
Zeno.

CA

CAPUT II.

Imperatores Sæculi VI.

Justinus I.
Justinianus I.
Justinus II.
Tiberius Constantinus III.
Mauritius.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi VII.

Phocas
Heraclius.
Constantinus IV.
Constans II.
Const: V. Pogonatus
Justinianus II. Rhinotmetus.
Leontius.
Tiberius Absimarus.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi VIII.

Justinianus II. Secundò.
Philippicus.
Anastasius II.
Theodosius III.
Leo III. Isauricus Iconoclasta.
Constantinus VI. Copronymus.
Leo IV.
Constantinus VII. & Irene.
Irene Sola.

PARS III.

Romanorum Imperatores.

Germani post instauratum Occidentis Imperium, à Carolo M. ad Rudolphum Habsburgicum.

CAPUT I.

Imperatores Sæculi IX.

Carolus M.

Ludovicus pius.
Lotharius.
Ludovicus II.
Carolus II. Calvus.
Ludovicus III. Balbus.
Carolus III. Crassus.
Arnulphus.
Ludovicus IV.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi X.

Conradus I.
Henricus I. Auceps.
Otho I. Magnus.
Otho II.
Otho III.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi XI.

Henricus II. Sanctus.
Conradus II. Salicus.
Henricus III. Niger.
Henricus IV.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi XII.

Henricus V.
Lotharius II.
Conradus III.
Fridericus Ænobardus sive Barbarossa.
Henricus VI.
Philippus,

CAPUT V.

Imperatores Sæculi XIII.

Orho IV.
Fridericus II.
Conradus V.
Interregnum.

PARS IV.

Romanorum Imperatores Germani

à Rudolpho Habsburgico ad nostra usque tempora.

CAPUT I.

Reliqui Imperatores Sæculi XIII.

Ru-

Rudolphus I. Habsburgicus.
Adolphus Nassovius.
Albertus I. Austriacus.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi XIV.

Henricus VII. Luxemburgicus.
Ludovicus V. Bavarus, & Fridericus III. Austriacus.
Carolus IV. Venceslaus iners.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi XV.

Rupertus Palatinus.
Sigismundus.
Albertus II. Austriacus.
Fridericus IV.
Maximilianus I.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi XVI.

Carolus V.
Ferdinandus I.
Maximilianus II.
Rudolphus II.

CAPUT V.

Imperatores Sæculi XVII.

Mathias.
Ferdinandus II.
Ferdinandus III.
Leopoldus M.

CAPUT VI.

Imperatores Sæculi XVIII.

Josephus.
Carolus VI.
Carolus VII.
Franciscus I.

PARS I.

Imperatores Romanorum à Constántino M. uſquè ad collapſum Occidentis Imperium.

Pars iſthæc Imperatores complectiturquindenos, qui ſæculo poſt Chriſtum natum quarto & quinto Imperii clavum tenuêre uſquè ad annum Chriſti quadringenteſimum quinquageſimum quintum.

CAPUT I.

Imperatores Sæculi VI.

Conſtantinus M.

Nobis inter Imperatores trigeſimus octavus.

1. *Quo duce atq; auſpice Conſtantinus ab Idolorum cultu ad Chriſti Religionem eſt traductus?*

Duce, atquè auſpice Deo; nam cùm è Gallia in Italiam contra Maxentium, Romæ crudeliter ac libidinosè debacchantem tenderet Conſtantinus, ecce tibi ſub meridiem cum toto exercitu crucem, ex lucidiſſimis formatam radiis vidit cũ hiſce vocibus Græcis *En tou to nika: in hoc vince*, ac inſequente mox nocte Chriſtũ aſpexit, diſertè monentem, crucis in àëre conſpectæ effigiem vexillo, quod *Labarum* exinde dictum, præfigeret, Hoc ſigno fretus animatuſquè Imperator, ſuperatis Alpibus, Maxentii primûm Duces, ad Taurinum, Brixiam, & Ve-

& Veronam fundit, fugatquè; tum Maxentium ipsum, ingenti cum exercitu occurrentem profligat, qui dum per pontem solutilem, Tiberi impositum, fugam properè capessit, eodem, ob nimiam insistentium molem, & stipationem dirupto, gurgitibus haustus, dignas libidinis & crudelitatis suæ pœnas luit. A.C. 312.

2. Num victo Maxentio, debellatum erat cum Imperii hostibus?

Unus supererat Licinius, Oriētis Imperator, homo præferoci ingenio, & literarū, quas Reipubl: pestem nominabat, osor acerrimus. Hic, etsi Constantino, cujus sororem Constantiam uxorem duxerat, affinitate junctus, Christianos dirum in modum vexare cœpit. Sed Constātino affinitate potior Religio fuit. Itaq; Licinio frustrà commonito, ut ab impio cœpto desisteret, pium bellum intulit, atq; iteratis cladibus attrito vitam tandem cum imperio ademit. A. C. 325.

3. Quo in Christianos animo fuit Constantinus?

Benignissimo. Nam 1. amplissimam omnibus potestatem fecit orthodoxæ Religionis amplectendæ (A. C. 312.) 2. Eversis idolorum delubris, vero Deo templa ædificavit ipse, & aliis ubivis terrarum ædificanda concessit. 3. Pœnas contra Christi Martyres, & cælibes latas, quibus ab hæreditate & successione suorum arcebātur, penitùs abolevit, piasq; Christianorum donationes & legata, uti & cælibatū, olim ab Augusto prohibitum, ratum habuit. 4. Edicto sanxit, nè quis facinorosorum crucis deinceps supplicio mulctaretur. 5. Romæ à S. Silvestro sacris undi

 ablutus

ablutus, ad construendam ibidem Principi Apostolorum basilicam duodecim terræ, quam ipse effoderat, cophinos suismet humeris comportavit. 6. Dei Ecclesiam amplissimis donariis locupletavit, eximiisquè ornavit privilegiis.

4. Qui in Concilio Nicæno suam Imperator sustinuit personam?

Trecenti decem & octo Episcopi jussu & auctoritate Pontificia Nicææ Bithyniæ urbe convenerant, cùm de Paschate celebrando, tum de impiis Arii, qui Christo divinitatem abrogare ausus est, dogmatis cogrituri, præsidentibus binis Romani Pontificis Legatis A. C. 325. Eum porrò honorem Episcopis habuit Imperator religiosissimus, ut non nisi humiliore considens sella, sacro illi Patrum Senatui interesse animũ induxerit, nõ consultoris aut arbitri, sed defensoris duntaxat officio sapienter fortiterꝗ; perfunctus. Aderant inter Patres illos egregii quidã Christi pugiles, tot trophæis, quot acceptis pro Christo vulneribus inclyti. Horum cicatrices osculatus Cæsar, disertè pronuntiavit, præclarius nihil, atq; illustrius sibi videri iis vulneribus, quæ quis pro Christo fortiter pugnans accepisset.

5. Quid de Helena Constantini matre memoria proditum est?

Hæc monitu Divino Palæstinam petiit, ubi Domini crucem, omni thesauro pretiosiorem, humi defossam reperit, orbiq; adorandam proposuit. Indè Judæâ infandis Dæmonum simulacris, fanisq; expurgatâ, duas diversis locis basilicas,

silicas, Constantinus unam in ipsa urbe Hierosolymitana magnificentissimam excitavit. A. C. 326.

6. *Quam Constantinus urbem molitus est?*

Cùm providentissimum Numen Romam veterem, orbis caput, & gentium Dominam suo in terris Vicario, & supremo Sacrorum Antistiti sedem propriam destinâsset, res hoc disposuit ordine, ut primus inter Christianos Imperator novam; conderet Romam, Imperii deinceps sedem futuram, quæ priùs Byzantium, indè à Conditore Constantinopolis est apellata.

7. *Qua arte, astuq; pio Constantinus aulæ quoq; suæ Proceres in novam hanc urbem pellexit?*

Cùm hi Persica expeditione distenti, decem & sex menses domo abessent, Imperator nova Bizantii palatia exstruenda curavit, illis, quæ Romæ incoluerant, simillima; cumq; eorum & liberos;& uxores & supellectilia illuc transtulisset, haud difficulter cunctis persuasit novi domicilii amorem, & veteris oblivionem. Nova porrò hæc Roma Virgini Deiparæ, Augustissimæq; Cælitum Reginæ solemni ritu consecrata, & dedicata est. A. C. 330.

8. *Quando, & ubi Constantinus diem supremum obiit?*

Dum Persas rebelles frenatus, maximis itineribus in Orientem contendit, gravi afflictus morbo, haud procul Nicomediâ, diviso inter tres Filios Constantinum, Constantium, & Constantem Imperio terrestri, ad cæleste ipse; migravit, anno ætatis 76. Imperii 32.

 Christi

Christi 337. de Ecclesia optimè meritus, dogmatumq; Synodi Nicænæ ad mortem usque retinentissimus, quem ipse S. Athanasius Imperatoribus omnibus imitandum proponit.

9. Num Sol hic Serenissimus omni caruit macula?

Duas præcipuè notârunt Scriptores, nempe quòd Constantinus Faustæ uxoris, quæ Priscum privignum, & Arianorum, qui Athanasium sublatum volebant, fictis criminationibus inductus illum necari jusserit; hunc Treviros relegârit. Tantum nempe potuit apud Principem cæterà optimum ambitiosa mulier, & implacabile hæreticorum in Catholicos odium.

39. Constantinus II. 40. Constans. 41. Constantius.

1. Diune tres inter hos Fratres concordia tenuit?

Haudquaquam; nam dum Constantinus natu maximus, transalpinis regionibus haud contentus, Constantem, natu minimum, cui Italia, Africa, Illyricum & Græcia obtigit, armis lacesseret, ab ejusdem ducibus per insidias interemptus est non minore Arianorum gaudio, quàm Catholicorum, quos strenuè semper defenderat, luctu, cùm tertium necdum annum imperando explêsset.

2. Num melior & sors & mors Constanti obvenit?

Hic quoq;, transalpinis gentibus in ditionem suam redactis Magnentii tandem tyranni perfidiâ à sicario est trucidatus anno Imperii de-

cimo

cimotertio. Scriptores ethnici graviter in Imperatorem hunc invehuntur; verùm alii Principem apprimè Catholicum, & Religionis contra Fratris Constantii & Arianorum insectationes propugnatorem strenuum, S. Athanasius etiam Martyrem appellat. Geminâ igitur illâ Constantini, fratrisq; Constantis nece geminum Religionis orthodoxæ columen corruit, orbis demum totius imperio ad unum Constantinum, acerrimum hæreticorum defensorem & Patronum, devoluto. Ex quo arcana Dei judicis cognoscere licet, ac venerari.

3. Quem tandem exitum habuit Constantii fortuna?

Magnentio tyranno, qui in Imperii solium se intruserat, bellum illaturus, Constantius, Gallum patruelem Orientis Imperatorem creat. Verùm dum hic potestate sua per vim & libidinem abutitur, ad se accitum, capite plecti jubet, cujus frater Julianus, Eusebiæ, uxoris Constantii, rogatu servatus, Athenas studiorum causâ mittitur. Constantius porrò Constantiæ amitæ potissimùm instinctu hæresis Arianæ, quæ pestilentissimæ contagionis instar orbem propè universum infecerat, propugnatorem se profitetur acerrimum, ejusq; dilatandæ studio omnia miscet, Catholicos atrocissimè vexat, Athanasium & Hilarium Ecclesiæ, in Oriente illum, istum in Occidente, columnas firmissimas loco movet, Liberium Papam, Arianæ hæresis oppugnatorem & Athanasii fautorem, urbe pellit. Nec impune tamen; quip-

pe & à Persis magnas accepit clades, & Julianum, quem septimo abhinc anno Cæsaris Titulo ipse ornârat, militum factione Lutetiæ Parisiorum Augustum proclamatum esse comperit, quem cùm dolore pariter & vindictâ ardens, debellatum iret, in itinere subito eoquè mortifero morbo correptus, interiit anno quarto & vigesimo, quàm imperare occeperat. Christi 361.

42. Julianus Apostata.

1. *Unde huic tam infame cognomentum?*

A sacrilego è Christi castris ad execrandas ethnicorum superstitiones transfugio, quod pridem meditatus, nunc tandem, adita Imperii possessione, palàm executus est, dum ejuratis Christianæ Fidei Sacramentis omnibus, Pontificem maximum se antiquo ritu & sacrificiis inaugurandum curavit.

2. *Quo adversùs Christianos erat animo?*

Hoc, utì Christum ipsum, per ludibrium Gallilæos vocitavit, eoq; afflixit crudeliùs, quò callidiùs, quippe quos illecebris potiùs, quàm cruciatibus ad defectionem solicitaverat. Si quos ob Religionis professionem de medio sustulit, alias supplicii causas obtendebat, Martyrii lauream invidens generosis Christi athletis Scientiarum adminicula Christianæ juventuti erepturus, Scholas claudi, librosq; flammis aboleri jussit. Quæ res Gregorium Nazianzenum impulit ad condendos versus, Homericis si non meliores, longè profectò utiores,

3. *Num Deus exitiosissimam hanc orbis pestem diu grássari est passus?*

Sesquiannum fermè à Constantii obitu non Imperatorem, sed tyrannum egerat Julianus, cùm in expeditione Persica jaculo, incerta manu emissô, confossus, animam scelestissimã Orco tradidit, A. C. 363. Moriens exceptum volâ cruorem in cælum jecisse fertur cum hac voce: *Vicisti Galilæe.*

43. Jovianus, sive Jovinianus.

1, *Quibus huic auspiciis imperare cæpit?*

Longè optimus. Nec aliud in principe hoc lectissimo desiderabatur, quàm diuturnius regimen. Sublato Juliano, militari mox suffragio Cæsar renunciatus, Imperium antè suscipere noluit quàm milites universi Christianos se fore professi sunt. Indè antiquius nîl habuit, quam ut Religioně, antecessoris impietate labefactatam, pro viribus instauraret. abolitis penitùs ethnicæ superstitionis monumentis.

2. *Quis vitæ ejus exitus?*

Pace cum Sapore Persarum rege ex necessitate magis quàm Imperii utilitate inita, cum Constantinopolin redux, in cubiculo, calce recèns illito, pernoctâsset, gravi prunarum vapore exanimis ibidem est inventus, octavo Imperii mense A. C. 364.

44. Valentinianus & 45. Valens.

1. *Qua ratione Valentinianus ad supremum Imperatoriæ dignitatis apicem est evectus?*

Succollante Dei hominumq; favore, quem

eximia

eximia illi virtus peperit, & constans veri Numinis cultus, ob quem à Juliano fortunis omnibus exutus, Christo inter adversa omnia firmissimè adhæsit, dignus, qui vel absens ad imperii coronam evocaretur septimo à Joviani obitu die.

2. *Qua porrò laude ad Imperii clavum sedit?*

Cùm tot provinciis regendis par unus sibi haud videretur, Frátrem suum Valentem, in Imperii societatem adscitum, Orienti præfecit; ipse verò in Occidentem, ingentibus bellorum motibus agitatam, concessit, justitiæ imprimis, atquè orthodoxæ religionis vindex egregius, & terror Barbarorum, quos iteratis cladibus domuit. Verùm dum in Moravos, defectionem molientes movet, eorundem Legatos ob rebellionẽ tanta animi corporisq; contentione increpuit. ut ruptâ arteriâ copioso cum sanguine vitam profuderit, Anno Imperii 12. Christi 375. relicto imperii ac virtutis hærede Grátiano, quẽ abhinc septénium summo ordinum consensu Augustũ dixerat. Illi nihilominus, adnitente potissimũ Cereale avunculo, Valentinianus, alter ex Justina Filius, vix novem natus annos, collega est additus.

3. *Qua porrò laude & commendatione Valens res Orientis administravit?*

Hic fratri omnino dissimilis, fovere impensè Arianos, aliosq; Hæreticos, Catholicos acerbè affligere, Episcopos, à Cõstantio expulsos, atq; à Juliano restitutos, denuo relegare Basilio, do-

ctrinâ

ctrinà & sanctitate toto orbe celebrátissimo, exiliũ, Deo portẽtis & prodigiis impio conatui intercedẽte, decernere, viros EcclesiasticiOrdinis octogenos, longè honestissimos de intollerabili Arianorum fástu, petulantia, & sævitia apud Cæsarem conquerentes ac supplices, navi in medio mari expositos, comburere, Monachos gravissima tributi exactione, à qua exemptos esse voluerant Constantinus, & Cõstantius exagitare, eosdemq; à piis exercitationibus abstractos militaribus addicere ministeriis, ac reluctantes fustuario mactare quoad tandem à Gothis, quos in fidem antea receptos Ariana infecerat peste, bello lacessitus, amisso exercitu, cum tugurio, quo sagittâ saucius confugerat, justissimâ talionis pœnâ vivus est combustus, Anno Tyrannidis 14. Christi 378.

46. Gratianus, & 47. Valentinianus II. sive Junior.

1. *Quibus virtutum radiis Imperator hic solium illustravit?*

Imperium fortitudine & sapientiâ, rem Christianam pietatis, ac religionis studio plurimum adjuvit. His præsidiis munitus, insignem ab Alemanis reportavit victoriam, amplius triginta eorum millibus cæsis. Exstincto Valente patruo improle, Orientis quoq; Imperium adẽptus, istud Theodosio, eximio belli Duci, gubernandum tradidit, qui victis profligatisquè Hunnis, Alánis, & Gothis, Imperio pacem, sibi immortalem nominis gloriam peperit.

2.

2. *Qua occasione Princeps hic laudatissimus immatura morte est præceptus?*

Dum Maximum, qui Britanniis tyrannidem arripuerat, justis armis persequitur, turpiter desertus à suis, Andragathii Ducis dolo perimitur A. C. 383. Princeps meliore fato dignissimus. Imperavit à Patris obitu annis octo.

3. *Num & Valentinianus præclaras Fratris virtutes est æmulatus?*

Quin potius Matris Arianæ, à qua virus pestiferum cum lacte hauserat, instinctu, Catholicis, atque inprimis Ambrosio extrema quæq; minitabatur, dum tandem vindex Nemesis Maximum Tyrannum evocavit in Italiam, quam unà cum Matre Justina, tantæ causâ præcipuâ calamitatis, relinquere cogitur, & in exilium, quod Ambrosio intentaverat, proficisci Constántinopolin, auxilium à Theodosio petiturus. Cui Cæsar, *quid mirum*, inquit, *Valentiniane, quòd Maximum habeas adversantem tibi, cum tùte Christo ipsi adversari non dubites?* Verùm isto meliora omnia pollicente, Theodosius ingenti cum exercitu in Italiam advolavit, pulsoquè inde Maximo Valentinianum in pristinam dignitatem restituit.

4. *Num tandem ad frugem rediit Valentinianus?*

Matre mortua, Arianam perfidiam execratus, totum se permisit Ambrosio, quem dum baptismatis suscipiendi causâ Mediolano Viennam Galliæ accersendum curat. Arbogastis supremi militiæ præfecti, quem exauctoraverat fraude, in palatio suo strangulatur, atq; ut mor-

mortem sibi ipse conscivisse crederetur, laqueo suspenditur, anno, quàm Augustus proclamari cœpit 16 Christi 393. Huic Ambrosius ipse copiosis lacrymis & oratione funebri parentavit, qua eximiam ejusdem pietatem virtutesquè cæteras posteritati tradidit.

48. Theodosius Magnus.

1. Quantæ Religione fuit Theodosius?

Tantâ, ut Ecclesiam, ejusq; Præpositos non modò summâ semper observantiâ coleret, sed & fortissimè defenderet, sæpe dicere solitus, multò pluris sibi esse Christiani, quâm Cæsaris nomen, majoriq; sibi honori ducere, quòd Filius sit Ecclesiæ, quā supremus orbis Dominus.

2. Qua vero ratione hanc pietatem Deus remuneratus est?

Eugenium, & Arbogastem Tyrannos Imperium affectantes, ope Divina compressit, in ipso enim ancipitis prælii æstu ventus vehemens obortus, pulverea subitò nube hostes involvit, tela in eorundem ora retorsit, ademptaque videndi ac respirandi facultate in turpem fugam conjecit.

3. Quæ Theodosio Imperatoriæ sobolis ritè educandæ, formandæque cura.

Longè maxima. Hinc cùm Arcadium & Honorium Filios Arsenio, moderatori pio, gnavo, prudenti in disciplinam tradidisset, eos non ut Cæsares, sed discipulos tractari, quin & verberibus, si quid deliquissent, castigari jussit. Cùmq; fortè Museum ingressus Magistrum stā-

tem,

tem, filios sedentes conspexisset, indignè id ferens Imperator, Arsenium sedentem docere, Cæsares stantes auscultare voluit.

4, *Quodnam tanti Principis vitium?*

Irâ quandoquè nimiùm præceps, qua abraptus gravem Thessalonicensium cædem aliquando edidit, eâ tantùm causâ, quòd nonnullis motibus urbem turbassent septem enim civium millia Cæsaris furori immolata cecidêrunt. Factum profectò crudele, sed quod insignis pœnitentia correxit: nam à S. Ambrosio Mediolanensium Antistite ingressu templi prohibitus. publicam aliquot mensium pœnitentiam serio humiliq; animo egit, pulcherrimo sanè ad omnes exemplo. Tandem in ejusdem Præsulis manibus Anno Imp: 16. C. 395. vitam pientissimè clausit, inter Magnos Imperatores ob factorum præstantiam jure numerandus.

49. Arcadius 50. Honorius.

49. *Quænám inter filios Theodosii facta Imperii divisio?*

Oriens Arcadio, Occidens Honorio cessit, tantamquè deinceps vim obtinuit hæc divisio, ut nunquam sæculis sequentibus ad hanc usquè diem conjungi potuerit utrumque Imperium.

2, *Quæ Arcadii sors fuit in Oriente?*

Imperator felix, quamdiu religiosus, suâ felicitate postremum excidit, ubi nimirum hortante Eudoxia conjuge in exilium relegare

re non dubitârit S. Joannem Chrysostomum Patriarcham, quòd Imperatricis flagitia perstrinxisset. Decessit Arcadius in ætatis flore, cùm imperâsset annos 13. usquè ad A. C. 408.

3. Quæ Honorii fata in Occidente?

Stiliconis, belli ducis quidem peritissimi, sed perfidi hominis artibus exciti sunt Vandali, Gothi, Svevi, Alani, & Burgundi, qui magnîs motibûs Itáliam, totumquè Occidentem concussêre. Indè factum, ut capta & spoliata sit Roma à Gothis sub Alarico, iterumq; sub Ataulpho, eorum regibus. Tandem & Hispania genti Barbaræ cedi debuit, ut Italiam desererent. Moritur Imperator religiosior, quàm felicior. A. C. 432. Imperii 28.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi V.

51. Theodosius II. sive Junior.

52. Valentinianus III.

1. Quæ virtutes Theodosium II. commendarunt?

Pulcheriæ Sororis industriâ sanctissimè educatus, à teneris unguiculis pietatem tam ardenti cœpit studio colere, ut nullam non diem fusis ferventer precibus Deo initiaret, piaquè sancti Evangeliorum codicis, quem mana sua descripserat, lectione condiret.

2 Quam lábem passa est hæc virtus?

Pulcheria sorore migrare ex aula jussa, fovere Eutychen hæreticum cœpit Imperator, qui antehac Ecclesiam fortissimè propugnârat.

Revocata lubin Pulcheria, qua absente omnis exulâsse fortuna videbatur, cuncta restituit, ac Theodosium paulò post obeuntem vidit, actâ seriò pœnitentiâ, Anno Imperii 42. Christi 450.

3. *Quomodò sedatus ingens terræ motus Constantinopoli Theodosio imperante?*

Factum est, ut innocentem puerulum vehemens turbo in auras sublimem auferret. Audiît is Angelos canentes: *Sancte DEUS, S. Fortis, S. Immortalis miserere nobis*; jussus hoc canticum docere homines, quo terræ motum compescerent.

4. *Quis interea sub Valentiniano Imperii status in Occidente?*

Longè miserrimus; nam miserè discerptum Imperium spectare ad interitum cœpit, ad quem sub Valentiniano magnis passibus properavit.

5 *Quæ Provinciæ ab Imperio divulsæ?*

Affricam occupârunt Vandali Anno Christi 427. Galliam Franci, Duce Meroveo Anno Christi 448. Britanniam Angli gens Saxonum A. C. 446. Hos Britanni adversus Scotorum, Pictorumq; incursiones auxilio advocârunt, qui tulêre quidem suppetias, at fugatis hostibus sibi vindicârunt provinciam, unde ista Angliæ nomen obtinuit.

Sub idem ferè tempus A. C. 450. Attila Hunnorum Rex omnia latè populatus Panoniam involavit, quæ ab hisce inquilinis Hungaria dicta est. Flagellum Dei seipsum nominabat Attila, quòd ad orbem castigandum electus esset.

6.

6. Qualis tot inter turbas Valentinianus?

Redempta iniquissimis conditionibus pace, voluptatibus totum se dedit, quo vivendi genere ultimum sibi & Imperio exitium paravit. Maximi patritii conjugem violârat. Quâ injuriâ ille vehementer commotus, securum sui Valentinianum eò tandem adduxit, ut invisus militibus vitâ ab iisdem exueretur. A. C. 455. Imp: 30.

7. Quinam postremi conatus emorientis Imperii?

Intra viginti annos à Valentiniani obitu decem Tyranni potiùs, quàm Imperatores ruenti Monarchiæ humeros supponere tentârunt. Verùm altero alterum dejiciente convulsum magis Imperium ad interitum promoverunt.

8. Quænam istorum nomina?

1. Maximus, 2. Avitus. 3. Majoranus. 4. Severus. 5. Anthemius. 6. Ricimerus. 7. Olybrius. 8. Glycerius. 9. Julius nepos. 10. Romulus Momyllus Augustulus.

9. Quâ tandem ratione exstinctum penitus Imperium in Augustulo?

Heruli sub Rege Odoacro in Italiam delati, variè à suis intus afflictam occupant. Pulso Augustulo, Italiæ regem se dicit Odoacer, novumq; regnum super imperii ruinas constituit. Cœpta igitur sub Augusto Monarchia post annos fere 500. desiit in Augustulo, non nisi post 300. annorum intercapedinem à Carolo Magno iterum instauranda.

Obser-

OBSERVATIONES
Ad primam partem Historiæ de Imperatoribus Christianis.

1. Quæ Imperii facies à Constantino usq; ad illius in Occidente interitum?

Floruit Sæculo quarto ferè integro, maximè sub Constantino M. & Theodosio M. Facta sub Arcadio, & Honorio divisione, Imperii divisum quoquè est robur. Inclinari ergo cœpit Occidens sub Honorio; ad finem properavit sub Valentiniano; expiravit sub Augustulo.

2. Quæ causa exstincti Imperii?

Honorii ætas minor, nec animus sat firmus; Tutorum perfidia; auctæ Barbarorum vires, imminuta Imperii existimatio; provinciarum jactura illud ad interitum, disposuêre ac Valentiniani scelera evertêre.

3. Nihilne interea passum Orientis Imperium?

Occidente collapso, quasi mutilus altero pede Oriens minùs deinceps firmus stetit. Sub initia sæculi sexti nata Saracenorum pestis varias provincias occupavit, ipsum tandem Imperium, Imperiiq; sedem Constantinopolim invasura.

4. Quando contigit celebris illa migratio Gentium?

Sæculo quinto, quando Vandali in Africam, Franci in Galliam, Gothi in Hispaniam, Hunni in Pannoniã, Angli in Britanniam, Heruli & mox Longobardi in Italiam commigrârunt, ùt

su-

ſuprà memoratum eſt Hinc nata Hiſpaniæ Galliæ, Hungariæ, & Angliæ regna, quæ hodiedum florent.

5. *E quibus orbis partibus hæ gentes advenêre?*

1. Vandali è Provinciis Borealibus, ubi modò Pomerania, & Marchionatus Brandeburgicus. 2. Franci ex Germania. 3. Gothi ſecundùm nonnullos ex Suecia, ſecundùm alios ex Aſia. 4. Hunnis, gens torva, ex Regionibus ad fluvium Tanain, & mare glaciale ſitis. 5. Angli è Saxonia. 6. Heruli ex ora maris Baltici, & parte Orientali Pomeraniæ &c.

6. *Quales populi fuêre Suevi, Alani, Burgundi, Longobardi, Scoci, & Picti?*

Suevi majorem partem antiquæ Germaniæ, Alâni Sarmatiam, ſive Moſcoviam incolebant: Burgundi ad Vandalos referebantur. Longobardos alii ex Suecia & Norvegia, è Saxonia & Magdeburgenſi ditione deducunt alii, Scoti & Picti è Scythia oriundi Britannos multùm exagitârunt.

7. *Quænam Ecclesiæ incrementa Sæculo quarto & quinto?*

Maxima ſanè, ubi depulſa perſecutionum ſæva hyeme Imperatores Chriſtiani fovere Eccleſiam cœperunt; mox enim ubiquè terrarum diffuſa Chriſti fides mirificè eſt propagata. Orientis Imperium dudum antea ab Apoſtolis excultum, ſub Conſtantino Eccleſiœ pars major fuit. In Occidente Burgundi, Galli, Scoti, Hiberni Sæculo quinto: Bavari. Hiſpani,

Angli &c. sæculo sexto ad Christum âccessêre.

8. Quibusnam adversis agitata Ecclesia Sæculo quarto?

Hæresi præsertim Ariana, quæ nonnullos Imperatorum, & Episcopos non paucos corripuerat. Nocuit plurimum Julianus Apostata, aliiq; Imperatores Hæresum Patroni.

9. Num profuerunt Ecclesiæ Barbarorum incursiones?

Mirabiliter disponente DEO profuerunt plùrimum, eò quòd Barbari Christianis immixti ad sanctæ legis notitiam, æstimationem, ac desiderium paulatim fuerint perducti.

10 Quid sentiendum de Baptismo Constantini Magni?

Sentimus nos cum Ecclesia, eundem Romæ à S. Silvestro Papa sacro fonte ablutum, atquè à lepra mundatum esse. Contrarium sentiunt Scriptores Acatholici: hi enim Constantinum paulò ante mortem Nicomediæ ab Episcopo Ariano baptizatum esse contendunt, secuti Eusebium Scriptorem Arianum, cujus dubiæ & sublestæ Authoritati mentem Ecclesiæ longissimè anteferimus.

11. An credibile est, Constantinum ea de causa Baptismum distulisse, ut in Jordane fluvio ablui posset?

Non credimus de piissimo Imperatore dilationem tantum, fundamento parùm solido nixam; nequè iis assentimur, qui volunt, ideò dilatum à Constantino Baptismum, ut abstersis paulò ante mortem vitæ maculis cœlo se

certiùs

certiùs assereret. Plus enim Ecclesiæ authoritati tribuimus, quàm hisce parùm solidis rationum momentis.

12. Quid sentiendum de donátione Constantini Magni?

Scriptores Ecclesiastici tenent, Constantinum Romæ baptizatum à S. Silvestro Ecclesiæ urbem Romam unà cum Italiæ parte, ad Occidentem sita, donavisse, quàm donationem ceu confictam explodunt Acatholici omnes, fateri tamen debent, easdem ditiones à plurimis retro sæculis Ecclesiam perpetuò possidere.

PARS II.

Imperatores Romanorum Græci in Oriente usquè ad Carolum M.

Tria sæcula cum dimidio pars ista continet, nimirum ab Ann. C. 450. ad A. 800. numeratquè is temporis tractus Imperatores universè 26.

CAPUT I.

Reliquì Imperátores Sæculi V.

53. Martianus.

1. Qua ratione devolutum ad eundem Imperium?

Absquè hærede obiêrat Theodosius junior; igitur Pulcheriæ sorori suæ relinquendum Im-

perium censuit, à qua præclarè jam ante fuit administratum. Consultura Imperii commodis Pulcheria, Martianum conjugem virginem virgo sibi sóciavit.

2. Quo Imperii & Ecclesiæ bono coaluit hoc virginum conjugium?

Eximio sanè utriq; enim pacem; pacisq; fructus prædulces peperit, quos Imperator pius, fortis, & pacificus unà cum Augusta conjuge sexeniô messuit usquè ad A. C. 457.

54. Leo I. Thrax. 55. Leo II. sive junior.

Quid de his Imperatoribus memorandum?

Non aliud ferè, quàm Imperii in Occidente ruina, quæ ipsis in Oriente regnantibus evenit. Imperavit Leo I. annos 17. Leo II. anno uno usquè ad annum C. 475.

56. Zeno. 57. Anastasius.

1. Quæ corporis, & animi species Zenoni?

Corpus illi deforme admodum, & in eo animus vitiorum sordibus deformior. Basilisci artibus Imperio pulsùs, paulò pòst revocatur à populo, cui Basiliscus ob crudelitatem se fecerat exosum Zenonem more suo ebrium, Ariadne uxor vivum sepeliri jubet, Anno Imp: 18. C. 491.

2. Quid interim gestum in Italia?

Odoacrum ab eversa Monarchia primum Italiæ Regem Theodoricus Ostrogothorum Rex debellat, sibiquè Italiam vindicat.

3.

3. *Quandonam Anastasius Ecclesiam & Pontifices affligere cœpit?*

Imperii quidem initia mira lenitate insignivit, populi oneribus imminutis: at hæresi Eutychianâ paulò pòst infectus, nec Ecclesiæ nec Pontificibus pepercit.

4. *Quas idcirco pœnas dedit?*

Fertur, in somno quondam vidisse virum horrenda specie, minaci vultu, qui librum manu præferens, indè annos vitæ 14. delere se dixit ob sceleratos Anastasii mores fulmine exin tactus periit post annos Imp: 27. A. C. 518.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi VI.

58. Justinus I. Tharx.

Quibûs gradibûs ad Imperii apicem conscendit?

Bubulcum egit juvenis, tum secutus militiam per omnes dignitatum gradus ascendit. Tandem in solium evectus palàm fecit egregio virtutum splendore, se Imperio fuisse dignissimum. Primus huic fuit, qui Imperii coronam è Pontificis manibus accepit, nec immeritò, fuit enim Ecclesiæ studiosissimus. Præfuit annis 9. usquè ad A. C. 528.

59. Justinianus.

1. *Quâ potissimùm re hic Imperator æternum sibi nomen peperit?*

Quòd Imperii leges ferè innumeras â viris doctissimis colligi, & in ordinem digeri jusserit; unde Jurisprudentiæ initium dedit.

2. *Num & bellica fortitudine claruit?*

Belisarii potissimùm operâ Gothos ex Italia, Vandalos ex Affrica migrare coëgit, quorum Rex ultimus Gilimer, in triumpho ductus, illud Salomonis identidem ingeminabat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!*

2. *Quæ tandem Belisarii sors fuit?*

E dignitatum apice ob affectati Imperii nonnullam suspicionem dejectus, & oculis orbatus stipem rogâsse fertur, his verbis: *Date obolum Belisario, quem fortuna in altum evexit, invidia oculis orbavit.* Pœna hæc fuit, quòd S. Silverium Papam in exilium ejecerit, & Vigilio Pontificatum pretiô vendiderit.

4. *Qualia Justiniani in Ecclesiam merita?*

Præclara fuissent, si satis firma. Idolorum cultũ, omnemq; hæresim, severè prohibuit; sanctæ Sophiæ templum nobilissimum condidit ac donis magnificè auxit: Verùm constantia defuit virtutum coronæ: quippe hæreticos fovere cœpit, factus tandem & ipse hæreticus. An deniq; resipuerit, incertum est. Imperavit annos 38. ad A. C. 566.

60. Justinus II. junior.

1. *An Imperio satis consuluit Justinianus cùm nepotem Justinum Cæsarem dixit?*

Minimè; quamvis enim Justinus initiô Virtutem coluerit, brevi tamen vitiis totum se dedit.

2. *Quâ ratione Italia ad Longobardos transiit?*

Justini potissimùm & conjugis culpâ. Hæc

Narseti, belli ducum nobilissimo, parùm addicta, Justinum eò permovit, ut illum Præfecturâ Italiæ exueret; namquè per contemptum ajebat Imperatrix, revocandum ex Italia Eunuchum, ut pensa traheret cum ancillis in gynæceo. Quô auditô, respondit Narses: telam se illi orsurum, quàm ipsa, dum viveret, detexere ampliùs non posset; moxq; Longobardos è Pannonia vocat in Italiam qui novum inibi regnum condunt. Relicta est Imperatori modica pars Italiæ, quæ Exarchatus dicta est quòd Præfecti à Cæsare missi, Exarchæ appellarétur, qui Ravennæ sedē posthac fixêre. Post annos Imp: 10. mēte motus obiit Justinus A.C 675.

61. Tiberius Constantinus III.

Quomodo hujus in egenos liberalitatem Deus remuneratus est?

In palatio fortè deambulans lapidem vidit cruce signatum, quem nè pedibus calcaretur signum salutis nostræ, mox amoveri jussit; quò facto ilatentem sub illo thesaurum eruit. Solium tenuit non nisi 6. annis ad A. C. 583.

62- Mauritius.

Quânam re hic Imperator claruit?

Fortiter acceptâ è manu DEI peccatorum pœnâ, quàm facta sibi optione, in hac vita subire maluit. Caganus Avarum Rex præliô Mauritium vicerat, ac duodecem militum millia in captivitatem abduxerat; hos tamen omnes pecuniâ minimè, grandi offerebat redimendos. At Mauritius aurum modicum liber-

tati suorum prætulit; quos ea propter Caganus ad unum omnes occidi jussit. Vindictam inclamavit fusus cruor, eaq; brevi secuta est. Phocam Cæsarem dixit miles. Ille in oculis Mauritii, primùm liberos & conjugem, deniq; Mauritium ipsum securî percuti jubet, ad singulas suorum mortes illud piè ingeminantem: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum!* Imperavit ann. 19. ad A. C. 602.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi VII.

63. Phocas.

1. Cur Deus Tyrannum hunc præesse voluit?

Id ipsum in oratione querenti cuidam servo suo respondit Deus, hunc à se electum, quia deteriorem non invenisset, ad plectenda Christianorum scelera.

2. Quale factum illud unicum, quod laudem mereatur?

Arrogabat sibi titulum Episcopi æcumenici, seu universalis Patriarcha Constantinopolitanus. At vetuit Imperator, nè porrò uterentur Patriarchæ isthac appellatione, quæ soli Romano Pontifici compereret. Occisus est Phocas, postquam imperavit annos 8. usque ad A. C. 610

64. Heraclius.

1. Quid memorabile huic circa sanctam Christi Servatoris crucem evenit?

Eandem Persæ, captâ Jerosolymâ secum abduxe-

duxerant sub initium Imperii Heraclii. Versâ postmodum belli aleâ, sacrüm lignum denun recepit suîsquè humeris ad priorem locum deferre statuit. Igitur Imperatorio indutus habitû per urbis plateas sanctum pignus magna celebritate bajulat. Verùm sub ea urbis porta, quæ ad montem Calvariæ ducit, subsistere cogitur vi occulta retentus. Monuit urbis Episcopus Heraclium, videret, an splendida vestis cum Servatoris humilitate satis consentiret? Tum Heraclius deposito quamprimum ornatu, veste plebeja indutus, reliquum viæ facilè confecit. Cæterùm in hæresin Monothelitarum lapsus, Heraclius haud levem nomini suo maculam aspersit.

2. *Quo tempore Mahomet, insanus legislator, sectam suam condidit?*

Heraclio imperante circa annum C 630. ingentes ac celeres Saracenorum, qui Mahcmeti adhæsêre, progressus fatalem animi ægrimoniam, ac præproperam mortem pepererunt. Imperavit an. 30 ad A. C. 641.

65. Constantinus IV. 66. Constans II.

1. *Cur optimus Princeps Constantinus celeri fato sublatus?*

Is Heraclii filius, charus omnibus, novercæ suæ artibus post 3. mensium Imperium vitâ quoquè privatus est; quippe illa filium Heracleonam solio admoverè parabat. Crudele factum indignati proceres, matrem cum filio

præcisâ

præcisâ illi linguâ, huic defectis naribus, exilio mulctavêre. A. C. 642.

2. *Quæ Constantis encomia?*

Pietate parenti dissimilis, impietate multùm avô superior, crudelitatem hæresi sociavit, dum interea Saraceni insulas Rhodum ac Cyprum occuparent, & colossi Rhodii fragmenta nongentis camelis aveherent. Romæ subin, templis omni pretiosâ supellectile spoliatis, Syracusas venit, ubi ab ancilla in balneo, impactâ in caput situlâ, animam efflavit. A. Imp: 26. Chri: 668.

67. Constantinus V. Pogonatus.

1. *Quid Ecclesiæ bono Constantinus effecit?*

Duo præstitit: Concilium œcumenicum sextum Constantinopoli haberi petiit, ad convellendam Monothelitarum hæresin; deinde Conventus pro electione Pontificum haberi solitos, & à Justiniani temporibus omissos denuò instaurari voluit. Imperium tenuit annos 17. ad A. C. 685.

2. *Quæ pestis sub hæc tompora Romæ sæviit?*

Visus fuit specie informi diabolus compita obambulare Angelo comite, quo jubente quoties cujusquè domûs januam lanceâ percussisset, tot in illa peste exstincti postridie efferebantur. Tandem, cœlo admonente, S. Sebastiani honoribus erectum altare malo medicinam fecit.

68. Justinianus Rhinotmetus. 69. Leontius. 70. Tiberius Absimarus.

1. *Quid singulare Justiniano Pogonati filio evenit?*

Quòd, Imperio decem annis malè administrato, & sceleribus contaminato, abscissis naribus solio sit dejectus, ac denuò restitututus post duorum Cæsarum regnum intercalare.

2. *Quinàm hi duo Cæsares?*

Leontius, quem post Imperium trienale naso mutilat Tiberius Absimarus; hic verò septennium imperando exegit, quo evoluto Trebellii Bulgarorum Regis auxilio reversus ad Imperium Rhinotmetus (naso carentem id nomen sonat) annos adhuc septem præfuit. Necatur in seditione Ann: Chr: 711.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi VIII.

71. Philippicus. 72. Anastasius 73. Theodosius III.

1. *Quæ Philippici sors fuit?*

A seditiosis electus, sed invitus plebi, quòd errores Monothelitarum tueretur, oculis orbatur post duos Imperii annos A. C. 712.

2. *Quid de Anastasio singulare?*

Fuit is Imperator doctus æquè, ac pius, qui sacrarum Imaginum cultum fortiter asseruit. Imperii anno tertio milites illum ab officialibus irritati, in monasterium detrudunt Anno Christi 715.

3.

3. *Quæ Theodosii fortuna?*

Imperium, quod acceperat invitus, Leoni III. sponte cessit, vitam solitariam in cœnobio amplexus; ubi majorem, quàm in Imperio felicitatem reperisse se postea fassus est. Illi præfuit anno uno ad A. C. 716.

74. Leo III. Isauricus Iconomachus.

1. *Quô locô apud Scriptores habetur Leo tertius?*

Propè nullo nisi pessimo: quia sacras imagines à templis ac privatis ædibus abstrahi, confringi, & cremari, earumquè Cultores diris modis vexari jussit.

2. *Quis huic sese impietati opposuit?*

Gregorius II. à quo in Concilio Romano damnati Iconoclastæ, & assertus sacrarum Imaginum cultus. Leo verò ab Ecclesiæ communione semotus, populi odium incurrit, præsertim in Italia, ubi vix quisquam Cæsari hæretico parere amplius voluit; hinc Exarhatus propè ad finem perductus. Adversus impium Leonem Papa iniit fœdus cum Carolo Martello, Caroli M. avo, qui Galliam administrabat, fuitquè is Ecclesiæ ac Pontificum defensor eximius,

3. *Quæ inter hæc rerum vices in Hispania?*

Witiza, Rege impio Veneri litante, ac palatium in lupanar mutante, adest Maurorum exercitus ingens; à quo major Hispaniæ pars occupata. Ægyptum quoquè Saraceni in potestatem redegêre, postquam Justiniano II. Impe-

Imperante, Africam quoq; suam fecerant. Sæviit Leo annis 24. ad A. C. 741. diris colicæ doloribus exstinctus.

75. Constantinus VI. Copronymus.

1. *Quid mali adhuc infans præsagiit?*

Salutaribus undis tingendus, sacrum Baptismi fontem sordibus infecit, undè & nomen Copronymi obtinuit. Indè ansa vaticinandi fuit S. Germano Episcopo, Constantinum Ecclesiam pessimè inquinaturum; id quod eventus docuit. Namq; sacrarum Imaginum hostis acerrimus Constantinus innumeros earum cultores sustulit; cœnobia vel evertit, vel incendit, aut militibus habitanda permisit, ejectis Monachis; dicatas autem Deo Virgines ad ineunda connubia pertrahere conabatur, oculos eis eruendos minitatus, nî morem gererent: at maluerunt illæ oculorum, quàm virginitatis jacturam facere.

2. *Quas pœnas dedit tantorum scelerum?*

Adversùm Bulgaros movens, febri ardente correptus, perpetuò vociferabatur: *Uror morior!* mortuus enim verò est morte impiorum, qui annos 34. sceleratè in Imperio vixerat A. Christi 775.

76. Leo IV. Porphyrogenitus.

1. *Num patre suo hic melior fuit?*

Haud procul à stipite pomum cecidit: quippe sacras Imagines, & earum cultores exemplo patris paribus odiis insectabatur Leo filius.

2. Quò supplicio mactatus interiit?

Coronam auream e Sanctæ Sophiæ templo fur sacrilegus Leo abstulit, quam ùt primùm capiti suo imposuit, subitis ardoribus est correptus: perinde ac si cadentibus prunis caput illius torreretur atq; eo supplicio etiam interiit, A. Imp: 5. C. 780.

77. Constantinus VII. 78 & Irene.

1. Quis Imperii status sub Constantino & Irene?

Annum ætatis decimum agebat Constantinus, patre Leone mortuo, Ergo Irene illius mater, fœmina prudens & fortis; sed ambitiosa, locò filii Imperium regendum suscepit. Pacem Ecclesiæ redditura, Concilium universale septimum celebrari à Pontifice petiit, in quò damnati rursus Iconoclastæ, & SS. Imaginum cultus stabilitus. Imperavit loco filii annos 10. ad A C. 790,

2. Quæ in regimine oborta mutatio, ubi Constantinus adolevit?

Matrem ab Imperio dimovere conatus quidem est, annos jam 20. natus; sed Irene verberibus etiam excepto quietem imperavit; brevi tamen pòst urgente exercitu mater cedere Imperium filio coacta est, cui annis septem ad Ann Christi 797. solus ille pessimè præfuit, paternæ impietatis hæres. Ea de causa Imperii Proceres Irenen supplices adeunt, & ut sceptrum filio eriperet. hortantur, quod quidem illa haud quaquâm invita præstitit; excæcato mox filio, cui ea calamitas mortem accelleravit.

3.

3. *Quàmdiu à filii cæde sola mater præfuit?*

Annis adhuc quinq; ad A. C. 802. Namq; illi ob ambitionem Græcis tandem invisæ Nicephorus Patricius subrogatur, à quo publicè orbata sceptro in exilium ablegata est. Interea Occidentis Imperium Carolus M. denuò instauravit, cujus rei summa necessitas erat, cùm Ecclesiam non modò non tuerentur ampliùs, sed impiè vexarent Imperatores Orientis.

OBSERVATIONES Ad Partem secundam Historiæ de Imperatoribus Christianis Romano Græcis.

1. *Auctûmne Imperium, an restrictum sub Imperatoribus Romano-Græcis?*

Restrictum potiùs, à Saracenis præcipuè, qui Arabiam, Africam, Ægyptum, Cyprum, aliasquè regiones ab eo distraxêre

2. *Qûa ratione Deus providit Ecclesiæ sub his Imperatoribus?*

Forti brachio eandem servavit, dum Imperatores magnam partem aut hæretici, aut impii parùm illi proderant, nocebant plurimùm. Hinc dedit Ecclesiæ Deus Pastores pervigiles, sanctitate claros, quales fuêre inter plurimos S. Gregorius Magnus, S. Leo, S. Hilariûs, S. Felix, S. Anastasius, aliiquè summi Pontifices magno numero.

3. *Verumne illud, quod Phocas per Diploma Cæsareum Papæ dignitatem Episcopi œcumenici contulerit?*

Ità quidem Scriptores Acatholici; sed pessimè, cùm nec Phocas, nequè ullus Imperatorum conferre dignitatem potuerit; quæ à solo Christo in ejusdem Vicarios promanavit. Igitur solùm declaravit Phocas, Romano Pontifici, minimè verò cuipiam Patriarcharum jure competere appellationem Episcopi universalis, quod ipsum ante omnem Phocæ declarationem probè fidelibus & sinè dubitatione constabat. Ergo Phocas merè fuit instar brachii sæcularis, quo Ecclesia aliquando indiget.

4. *Verumnè, quòd Pontifex Diplomate illo à Phoca obtento Mauritii cædem comprobarit?*

Calumnia est, & omni fundamento carens fabula, ut odium conflarent Christi Vicario infensissimi Ecclesiæ hostes.

5. *An unquam Pontificum electiones opus habuerunt Imperatorum calculo, aut consensu, ut essent validæ?*

Neutiquam id fuit necesse. Illud verum est, aliquamdiu per vim Orientis Imperatores sibi jus arrogâsse Pontificum electiones sua auctoritate permittendi, aut confirmandi.

6. *Verùmne, quod ajunt Acatholici, Iconoclastas sacrarum Imaginum adorationem rejecisse &c.*

Nolunt intetelligere malevoli, quid inter cultum, & adorationem intersit. Hanc nunquam sustinuit Ecclesia; illum semper probavit. Quare

re non adorationem, quæ nunquam exstitit, sed cultum vexârunt Iconoclastæ.

PARS III.

De Imperatoribus Christianis Romano-Germanicis in Occidente à Carolo M. usquè ad Rudolphum Habsburgicum.

Quinquè Sæculis cum dimidio pars ista absolvitur, numeratquè Imperatores 27.

CAPUT I.

Imperatores Sæculi IX. è Stirpe Caroli M.

79. Carolus Magnus.

1. *Qua ratione instauratum Occidentis Imperium?*

Carolum Magnum Galliæ Regem, Pipini Brevis filium, Dei Providentia elegit, ut maximo Ecclesiæ bono Imperiū Occidentis, ante annos 325. collapsum, restitueret Præsidii nihil, vexationis autem plurimùm, ab Orientis Imperatoribus capiebat Ecclesia, cujus ditiones infestabant Exarchiæ, & Reges Longobardi opprimebant. Igitur Leo III. Pontifex, Divino utiquè instinctu, Carolum, optimè de Ecclesia meritū, ipsa die Christo nascenti sacra, in S. Petri templo corônâ Imperatoriâ exornat, acclamāte populo: *Carolo Pio, Augusto, à Deo coronato, Magno & Pacifico Imperatori Vita & Victoria!*

2. *Quo Juramento se obstrinxit Carolus suscepto Imperio?*

Constanter defendendi Ecclesiam, quod munus indè à Constantino Magno, Imperatorum fuit proprium, à multis quidem fortiter adimpletum, ab aliis neglectum.

3. *Quibus beneficiis Carolus Ecclesiam affecerat, antequam dictus est Imperator?*

Desiderius, Longobardorum in Italia Rex postremus, cùm Ecclèsiæ ditiones, tum Ecclesiæ Caput Adrianum miserè vexabat, Monitus à Carolo, resipere noluit. Adest igitur, rogante Papa, cum exercitu Ecclesiæ defensor Carolus, ac geminâ pugnā victum Desiderium Licini capit, & regno exuit.

4. *Quibus donis Ecclesiam auxit?*

Exarchatum, & Umbriam Ecclesiæ jam donârat Pipinus; patris donationem firmavit Carolus, adjectâ Corsicâ, Sardiniâ, Siciliâ, Spoleto, Hetruriâ, Benevento &c. Regnum verò Italiæ sibi servavit.

5. *Quale fuit bellum Saxonicum Caroli Magni?*

Ante obtentum Imperiùm Saxones diuturno bello Ecclesiæ tandem, sibiq; subjecit Carolus Rex. Gens hœc bellicosa, & Galliæ tributaria jugum excutere parabat, Carolo alibi agente. Advolat ille cum exercitu, ac seditiosos domat. Iterum, iterumq; ab officio discedentes 33. annorum spatio sibi iterum & Ecclesiæ subjicit, dum gentem hanc cū Witikindo Duce ad Christum adduxit Fundavit porrò in Saxonis undecem amplissimos Episcopatus, ut adeò Pro-

vinciam

vinciam ferè integram Ecclesiæ vindicârit.

6. Quid factum Thassilone Bavariæ Duce?

Stimulante conjuge sua, Desiderii Longobardorum Regis filiâ, in Carolū M. arma sumpsit, Italiam sibi vindicaturus; sed omni ditione exutus in monasterium detruditur.

7. Quanta fuit Caroli pietas?

Verè Imperatoria & magnifica Princeps illi cura semper fuit Ecclesiæ defensio, & propagatio. Divini honoris incrementa spectabat, cùm idola subverti, proscribi hæreses, populos erudiri & Pastoribus idoneis instrui solicitè curavit. Fundavit Episcopatus 11. Monasteria tot, quot literas habet Alphabetum: Divinis officiis quotidie aderat, quin & sæpissimè pueris cantoribus in Ecclesia immistus, divinas cum ipsis laudes alacriter decantabat. Nunquam prælium commisit cum hostibus, nisi ardenter invocato priùs in Ecclesia cœlesti auxilio: Sacerdotes quoq; constituit, qui, dum conferebatur prælium, felicem illius exitum à Deo exorarent: hinc utiquè tanta, in bellis gerendis felicitas, quæ non nisi Cœlo auspice conficiebat.

8. Quibus animi dotibus præfulsit hic Imperator?

Soliditatem in rebus omnibus spectabat Princeps magnanimus, itaq; curabat maxima, ut, quæ viderentur minima, nō negligeret. Plerisquè scientiis insigniter excultus, videlicet Musicâ, Mathesi, Philosophiâ, Astronomiâ, Pòéticâ, Theologicâ. Linguam Græcam, & Latinam apprimè calluit; Germanicam tamen, qua ùt plu-

rimùm utebantur, præ cæteris adamavit, quam & insigniter excoluit. Vestitus, & mensa illi vulgaris, quam lectione utili plerumquè condiri volebat.

9. Quô literas promovendi studiô] arsit Carolus Magnus?

Istud facto memorabili palàm fecit. Ad Scholas invisebat sæpius tantus hic Princeps, suâ præsentiâ, & adhortatione Juventutem stimulaturus ad discendum. Fortè sciscitatus ex ludimagistro, quinam proficerent meliùs, nobiles, an plebeji, responsum accepit, plebejos discendi alacritate nobilibus longè anteire. Igitur & hos & illos in medium ad se vocat Carolus, plebejis ad dextram, nobilibus ad sinistram stare jussis. His ignaviam suam exprobravit, illis verò dilaudatis suos imposterum favores, & suo tempore ad officia promotiones spopondit, optimè gnarus: quantum Reipublicæ bene gerendæ pondus tribuat Juventus probè erudita.

10. Quo fato functus hic Imperator?

Ætatis anno 72. febri correptus, quam incassum depellere solitâ abstinentiâ conatus est, obiit Aquisgrani, omnibus morientium Sacramentis munitus anno Regni Francici 46. Imp: 14. C. 814. Hæc illi familiaris fuit tessera: *Christus regnat, Christus vincit, Christus imperat.*

80. Ludovicus Pius.

1. Quænam Ludovico debita laus?

Etsi fortitudinem Parentis & magnanimitatem

tem assecutus non est; pietate tamen haud multò fuit inferior, Pii propterea nomine insignitus.

2. Quid in illo carpendum?

Lenitas nimia, cui aut firmitatem, aut severitatem, cùm opus esset, admiscere haud noverat; hinc ab aliis contemptus, à filiis vehementer etiam fuit afflictus.

3. Quænam hujus vexationis causa?

Inter filios Lotharium, Pipinum, & Ludovicum provincias diviserat Imperator; at Carolo Calvo postea in lucem edito, mutata divisio, & sua quoq; huic portio adjudicata. Ægre habuit tres filios natu majores, quòd imminui assignatas sibi ditiones cernerent, atquè hinc exemplo hactenus inaudito arma in Parentem expediunt.

4. Quænam catastrophe clausa Tragædia?

Parentem prope Basileam Imperio exuunt filii, nonnullorum Procerum authoritate sufsulti, ac pœnitentis habitu indutum in captivitatem detrudunt, cùm illis ipse non armatus, sed pacificè rem transacturus occurrisset. Evoluto unius anni spatio facti pœnitentes Ludovicus, & Pipinus solio Parentem restituunt.

5. Quâ pœnâ filiorum scelus emendavit Imperator?

Cōsueta lenitate culpā illis omnē ultro dimisit.

6. Quæ prima Ludovici cura?

Pietas tum propria tum aliena; hinc fundandis, & exornandis Ecclesiis, abusibus tollendis, Cleri ac populi moribus reformandis unicè delectabatur. Piissimam vitam simili fine clausit,

præmisso 40. dierum jejunio, & susceptis Sacramentis Anno Imp: 26. C. 840.

81. Lotharius.

1. *Quam labem in Imperii aditu nomini suo aspersit?*

Ditionis augendæ cupidine inductus cum fratribus bello contendit, quod Galliam pæne totã eversum ibat. Verùm gemino atroci prælio victus, leges accepit, qui dare voluit: Solâ igitur Italiâ & Australiæ parte quam dein à suo nomine Lotharingiam dixit illi relictâ Carolus Calvus Galliam, Ludovicus Germaniam, Pipinus Aquitaniam retinuit.

2. *Quo facto Imperii exitum memorabilem reddidit?*

Seu rerum caducarum, seu fortunæ tædio in cœnobium se abdidit Imperio sponte dimisso, quod unà cum Italia in filium Ludovicum transtulit, Lotharingiâ Lothario, Carolo assignatâ Burgundiâ. Veste Religiosa indutus in Monasterio Prumiensi prope Treviros paulò post æternitatem adiit. An: Imp: 15. C. 855.

82. Ludovicus II.

1, *Quàm propè ad avi Caroli M. virtutes accessit Ludovicus secundus?*

Ut nemo è Carolingis propiùs. Accepta Romæ Imperii coronâ illud unicè curavit, ut Ecclesiæ prodesset. Profuit enimverò, dum Saracenos Italiam vastantes ad sua redire compulit, dum virtutibus Imperatore dignis solium illustravit, Princeps optimus, Justus, Pacificus.

2. *Qua*

2. *Quæ temporum iniquitas orbem afflixit Imperante Ludovico?*

Fames atrox, & pestis adeò dira sævit, ut tertiam hominum partem fuisse absumptam, testentur Scriptores. Obiit Ludovicus Mediolani post annos Imp: 20. Chr: 875. Cumque hærede careret, exstincta cum ipso est stirps Carolingorum Italica, transitque Imperium ad Gallicam.

83. Carolus Calvus.

1. *Quibus artibus ad Imperium est eluctatus?*

Ludovico Germanico, fratri natu majori, sceptrum debebatur. At verò Carolus ereptâ jam priùs Lothario Lotharingiâ. Imperium quoq; cum Italiæ Regno Ludovico fratri præripere nil dubitavit. Igitur Joanne VIII. Papa in suas partes pertracto, Romæ Imperator solenniter inauguratur.

2. *Cur Pontifex Carolum potiùs, quàm Ludovicum coronâ impertiit?*

Ultro sese obtulit Carolus ad suscipiendum è manu Pontificis Imperium; neque enim illud jure sanguinis adiri necessariò debere contendebat; sed & electione Pontificis, ac populi Romani obtineri posse judicabat. Haud ægre annuit Pontifex, præcipuè cùm plus auxilii adversùm Ecclesiæ hostes à Carolo quàm à Ludovico expectaret.

Qualem in Imperio se præstitit Carolus?

Quàm iniquus ante Rex, tam insignis postea fuit Imperator, meritoq; dein Ecclesiarum beneficus Pater, Defensor Fidei, ac literatorum eximi-

eximius fautor est habitus. Venenum illi pro pharmaco, dum ægrotaret, archiater Judæus præbuit An: Imp: 3. Chr: 877.

84. Ludovicus Balbus.

Cur solam Imperatoris dignitatem, sinè Regno Italiæ, adiit Ludovicus?

Mortuo Carolo parente, Ludovicus à Joanne VIII. in Gallias profugo, diademate exornatus est, postquam Carolomannus Ludovici Germanici filius Italiam sibi vendicaverat. Anno Imperii altero Balbum, à lingua balbutiente sic nuncupatum, mors sustulit A. C. 879.

85. Carolus Crassus.

1. Cur omissis Ludovici Balbi filiis Carolus Imperator dictus?

Quia opis indigus Papa adversùm Saracenos à Ludovici filiis ob ætatem sperare nihil poterat, Carolum Crassum in Italiam invitat, ac Saracenis robore militum ejectis, ad Imperii fastigium extollit.

2. Qua ratione Monarchia integra ad Carolum est devoluta?

Decesserat sinè liberis Ludovicus Germanicus junior; successit igitur in Regno Germaniæ Carolus, Ludovico autem Ignavo, & Carolo Simplice filiis Ludovici Balbi ineptis ad regendum, Galliæ Proceres istud quoq; Regnum Carolo deferunt. Sic mutatione subita & mirabili, Monarchia integra, ùt eandem Carolus M. possederat, Caroloq; Crasso paruit.

3. Qua-

3. *Quænam alia multò magis stupenda mutatio paulò pòst evenit?*

Carolus Crassus tot regnorum potens Monarcha, subitò ad incitas redactum se vidit, cū Galliæ, ac Germaniæ Status unanimi consensu eundem Regnis omnibus, & Imperio exuerunt. Tres erant casûs gravissimi causæ: prima, quòd cum Normannis pacem probrosam Carolus iniisset, relicta iisdem Neustria Galliæ Provincia, quam à suo nomine Normanniam dixêre. 2. Quòd falsis accusationibus inductus, Richardē conjugem iniq; repudiâsset. 3. Quòd animo hebetatus, nihil deinceps profuturus Imperio; sed nociturus videretur.

4. *Quænam Caroli adempto Imperio fortuna?*

Deploranda sanè metamorphosi eò redactus est, ut nè unicus quidem illi famulus esset super, qui offam pararet: fame igitur fuisset interiturus, nisi Luitbertus Moguntinensis Archiepiscopus miserrimo Principi victum præbendum curâsset. Obiit paulò pòst, annis 7. in Imperio transactis A. C. 886 Sepultus in Monasterio Augiæ divitis. Non desunt, qui asserunt, Carolum Neidingæ in Suevia à malevolis strangulatum. Is primus in Diplomatis Christi nascentis Epochâ usus esse perhibetur.

86. Arnulphus.

1. *Quis Imperii status Carolo exauctorato?*

Omnino turbulentus: Arnulphum Germani Regem suum dixêre: Gallia ad Carolum Simplicem ultro rediit: in Italia Guido Spoleti Dux,

Lam-

Lambertus ejuſdem filius, & Berengarius è Regum Longobardorum prognatus ſanguine Imperium ſinguli adiêre, de quo ſibi imposterum aſſerendo annis minimùm 50. hi Principes Itali decertârunt.

2 *Qua demum ratione Arnulphus Imperator eſt renunciatus?*

Annis octo ſolam Germaniam rexerat, cùm in Italiam, ubi Lambertus magnas excitaverat turbas, ad eaſdem ſedandas evocatur à Formoſo Pontifice. Romam hoſtili munitam præſidio diu incaſsùm obſidet Arnulphus, dum tandem eventu planè ridiculo urbem in ſuam redigit poteſtatem.

3. *Ecquisnam eventus ille?*

Lepuſculum, è dumeto fors excitatum, ac per media caſtra diffugientem inſequitur militum turma; quam dum inter clamores inconditos ad urbem accurrere vident ordines in exercitu poſtremi, & ipſi accurrunt, impetum in urbem faciendum rati. Clamore inſano, & hoſtium numero exterriti, qui mœnia cuſtodiebant, aufugiunt ad unum omnes. Deſertas igitur ſtationes & muros occupari à ſuis quamprimum jubet Arnulphus, Duce Lepuſculo urbis victor celeberrimus, in qua mox Imperator eſt renunciatus & coronâ aureâ inſignitus.

4. *Quis paulò pòſt infelix caſus Arnulphum proſtravit?*

Lambertum æmulum, in arce Camerinenſi unà cum matre ſua latentem, obſidebat Imperator. Illum fœmina hæc, cùm aperta vi non

poſſet,

possèt, clàm tollere è medio statuit. Quare corrupto pecuniis Arnulphi Pocillatori persuadet, ut hero suo poculum venenatum præbeat; quo Imperator exhausto, tres dies noctesquè continuas pertinaci somno extraxit: eversa dein vi potûs hujus valetudine, biennium varios inter morbos ad omnia inutilis exegit, consumptus tandem Oettingæ Rhætiæ, sepultusq; Ratisbonæ in S. Emmerami æde. Imp: ann: 4. C. 899.

87. Ludovicus IV.

1. *Quis è stirpe Caroli M. ultimus Imperium tenuit?*

Ludovicus hic, Arnulphi filius, Infans à nonnullis dictus, quòd septennis à Germaniæ Proceribus Imperator sit renunciatus.

2. *Cur ab Hungaris sub Ludovico vastata Germania?*

Hunnos Arnulphus contra Bohemos obsequium detrectantes, auxilio advocârat. Illi viam, qua redirent, edocti, adfuere sub Ludovico non jam ut socii; sed hostes. Conserto ad Arnsburgum, Bavariæ oppidum, triduano prælio, tanta clade Germanos affecerunt, ut passim super cæsorum cumulos, velut super mēsas convivaretur victor Hungarus: quocum nō-nisi auro plurimo, & annuo vectigali redimere pacem Ludovicus potuit, mœrore idcirco, ut ajunt confectus. Imperavit annos 12. ad A. C. 912. sepultus pariter Ratisbonæ ad S. Emmerami.

CA-

CAPUT II.

Imperatores Sæculi X.

88. Conradus I. Franco.

1. *Quo is pacto ad Imperii fastigium ascendit?*

Othonem Saxoniæ Ducem ad Imperium postulârant Germani. Verùm is recusata ob senium dignitate, Conradum Franconiæ Ducem, ceu Heroëm Imperio dignissimum, subrogari sibi petit; quamvis ipsemet filium haberet Henricum Aucupem tanto muneri parem.

2. *Qua laude præfuit Conradus?*

Aquisgrani accepta à Moguntino coronâ, insigni prudentia & fortitudine jus suum contra æmulos Arnulphum Malum, Bavariæ Ducem, & Henricum Aucupem prosecutus est.

3. *Quemnam sibi Imperatorem subrogari moriturus petiit?*

Hostem suum Henricum Aucupem, à quo magnam cladem acceperat Merseburgi in Saxonia. Nimirum privatis odiis præhabita Imperii salute, sceptrum Henrico destinavit, quo digniorem sciebat neminem, Obiit post annos Imp: 7. Chr: 919.

89. Henricus Auceps.

1. *Unde nomen Aucupis obtinuit?*

Quod ab Episcopis & Principibus Germaniæ Imperator dictus, tantæ dignitatis insignia acceperit aucupio intentus, quò mirificè delectabatur.

2. Quid

2. Quid illi cum Hunnis negotii?

Loco vectigalis annui à Ludovico IV. extorti, canem illis scabiosum reddi jussit: quo probro vehementer exacerbati, mox in Germaniam valido cum exercitu irrumpunt; sed ingenti suorum clade ab Henrico depulsi, Germanorum vires pluris, quàm antehac facere docti sunt. Tantam Victoriam (50. enim Hunnorum millia hoc prælio cæsa sunt) Cœlo auspice Imperator tulit, quod edito de blasphemia & simonia tollenda voto, propitium sibi reddidit: quippe Angeli pro Henrico pugnare sunt visi, dum interea in ipso prælii æstu loco militaris clamoris exercitus Kyrie eleyson tam constanter quàm piè ingeminaret.

3. Cur Germania major urbium numero augeri cœpta?

Urbes rariores numerabant Germani, alendo ùt plurimùm pecori & ruri colendo in pagis intenti. Cruentæ Hunnorum incursiones mœnibus viros claudere, ac munimenta condere Henricum docuerunt: namquè observatum fuerat, Hunnos, omissis urbibus, quas expugnandi artem ignorabant, patentes solùm provincias infestâsse.

4. Quinam ludi equestres, quos Henricus instituit?

Ut Germana Nobilitas opportunè exerceretur, & ad bella rite gerenda pararetur, hastiludia instituit, ad quæ non nisi avita & integræ famæ Nobilitas certis legibus admittebatur. Ad primum Magdeburgi celebratum

hastiludium 974. Viri Nobiles convenêre.

5. Quo fine Imperii Marchiones instituit?

Ut fines Imperii contra hostium invasiones tuerentur. Hinc Danis Marchionem Sleswicensem Brandeburgensem Vandalis, Misnensem Bohemis, Austriacum Hungaris opposuit. Atq; hi Marchiones, fortiter agendo, ditionibus aucti in potentes tandem Principes excrevêre.

6. Quodnam cimelion Henricus Imperii Insignibus adjecit?

Longini lanceam, qua Christo apertum latus. Hanc quà precibus, quà minis à Rudolpho Galliarum Rege extorsit. Eadem asservatur inter cætera insignia Norimbergæ. Cæterùm Henrico debet Germania, quòd artibus variis, belli studiis, optimisq; legibus aucta sit, & exornata. Hinc Pater Patriæ, Princeps pius, Imperii & Ecclesiæ Ornamentum jure optimo à grata posteritate vocabitur. Rexit Imperium annis 17. ad A. C. 936.

90. Otho Magnus.

1. Cur Otho sub Imperii exordium terror, dein amor mundi appellatus?

Magno parente Henrico major adhuc filius Otho felicibus bellis, & invicto robore, populos ab obsequio alienos adeò mox contrivit, ut mundi terror sit dictus. Ob clementiam dein, & humanitatem singularem, cæteraquè virtutum ornamenta Amor mundi est appellatus.

2. Cur à binis suis fratribus impugnatus fuit?

Tancwerdus Imperium sibi tanquam majori natu deferendum ratus, bellum Othoni movit, in quo vitam posuit. Contra Henricus frater quidem minor natu, sed ab Henrico Aucupe, jam Imperatore, genitus sibi coronam deberi existimabat, quòd Otho, patre nondum imperante, esset in lucem editus. Verùm nec iste profecit quidquam. Variis enim cladibus affectus, permittere se Othoni supplex debuit, à quo Bavariæ Ducatu est auctus.

3. Cur à filio quoquè armis lacessitus Otho?

Ægrè tulit Ludolphus, patrem Othonem ad secundas nuptias transisse, quòd suam sibi portionem imminutum iri crederet. Igitur ad arma vocat, Hunnis etiam in auxilium accitis. At nihil proficere in Patrem potuit natus impius, dum fractis tandem viribus ab Othone veniam supplex petere est coactus, quæ quidem concessa est; sed nonnisi deposito Sueviæ Ducatu, cui præerat Ludolphus, & in Eberhardum Helffensteinium translato.

4. Quæ Othonis contra Hunnos fuit fortuna?

Cùm omnem latè Germaniam igne ferroq; vastarent, in campo Lycio haud procul Augustâ tantam Barbarorum edidit stragem, ut è centum millium exercitu vix pauculis in Pannoniam redire licuerit, acceptæ cladis nuncium allaturis. Auctus nobilissimâ victoriâ Imperator per omnes Germâniæ Ecclesias gra-

tes DEO referri publicè juſſit. Prælio interfuit S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus, illiquè in medio pugnæ Crux, victoriæ teſſera de cœlo ſubmiſſa fuiſſe perhibetur.

5. *Quid rerum terna expeditione in Italia geſſit?*

Prima Berengarium, Italiæ Regem domuit, ac ſupplici feudi nomine Italiam conceſſit. Alterâ eundem Berengarium Pontificis rogatu, quem variè vexabat, bello petiit, regnoq; exutum Bambergam in exilium migrare juſſit. Papa verò tyranni vexationibus liber, Othonem liberatorem coronâ impertit, ſpondetquè, ſe illi perpetuò adhæſurum, eumq; pro legitimo Imperatore, excluſis aliis, habiturum.

6. *Num diuturna fuit hæc Pontificis cum Othone conſenſio?*

Minimè; geminos Cardinales, Pontifici refractarios, Otho benignè ſuſceperat, cùm ad ſe confugiſſent. Indignatus Papa, Adalbertū, Berengarii filium, adverſus Othonem evocat. Hic vero in furorem verſus, Romam armata manu ingreditur, & Joanni XII. Pontifici Leonem VIII. Pſeudo-Papam ſubrogat, quo incentore Imperatoris in Joannem Pontificem indignatio tamdiu ſopita non eſt, quamdiu Leo ſuperſtes fuit. Hoc exſtincto, & peſte exercitum vaſtânte, ad ſe rediit Otho, hanc divinitus immiſſam interpretatus ob malè habitum Chriſti Vicarium.

7. Quæ-

7. *Quænam tertia Othonis in Italiam expeditio?*

Versus in agnum leo, Romam accurrit Joanni XII. contra refractarios laturus suppetias. Severè punitis iis, qui è Romanorum numero quietem turbârant, mansit posthac sanctæ Sedi addictissimus.

8. *Quænam alia Othonis præclara facinora?*

Græcis & Saracenis ex Italia pulsis: hanc integram Imperio restituit Danos, Sorabos, Henetos, Bohemos fortiter debellatos, ad Ecclesiam, Christiquè fidem adduxit, compluresquè Episcopatus erexit. Quoties habitu Imperatorio induebatur, DEUM ardenter orabat, ut sibi animum humilem, & alienum à superbia largiretur &c. Obiit post annum Imp: 37. An: Christi 973. Dignissimus, cui istud Magdeburgi sepulto poneretur elogium sepulchrale:

Tres luctus causæ sunt hoc sub marmore clausæ
Rex, Decus Ecclesiæ, summus honor Patriæ

91. Otho II.

1. *Quo tempore Imperii coronâ redimitus?*

Vivente etiamnum patre Othone M. annos natus quindecim, Romæ est coronatus? minor parente filius, cujus felicitatem & virtutes non perinde est assecutus.

2. *Cur pallida mors Saracenorum est appellatus?*

Quòd hos, à quibus antea cæsus fuerat & captus, felici prælio superatos, ad internecionem

nem deleverit, ut primùm ex eorum manibus mira dexteritate evaſerat.

3. Cur poſtmodum dictus etiam Sanguinarius?

Ob factum crudele, quod Romæ exercuit. E Nobilitate Romana quosdam occultè ſeditioſos deprehenderat, quos è medio tollere mox conſtituit. Ergo Nobiles Romanos ad unum omnes epulo exceptos, inter delicias convivales ſubitò exterret, dum valida militum manu in triclinium immiſſa; ſeditioſos ab epulis ad capitis ſupplicium abripi jubet, cæteris inſpectantibus, & horrore plenis. Fruſtrà hos, peractâ carnificinâ, Otho ad hilaritatem eſt cohortatus, cùm triſtium epularum finem univerſi avidè expectarent. Imperavit ánnos 10. ad Ann: Chriſti 933.

92. Ottho III.

1. Cur mirabilia mundi appellatus?

Anno ætatis decimo patre orbatus, Willigiſo, & Gilbertò Averno viris doctiſſimis, quorum prior Archiepiſcopus Moguntinus, alter ſummus Pontifex tandem factus, traditur inſtituendus, quorum ſub magiſterio tam ſtupendos in litteris progreſſus fecit, ut ob ampliſſimam in ætate adhuc tenera eruditionem Mundi Miraculum appellari ſit meritus.

2. Quidnam de Willigiſo memoriæ proditum eſt?

Carpentarii filius is erat, humili loco natus; ab Othone III. quem literarum, & morum præceptis imbuerat, Eccleſiæ Moguntinæ datus Antiſtes, egregium demiſſi animi ſpecimen dedit:

dedit: namque, ut elationem fugeret, rotam in palatio, & conclavi suo depingi curavit, hac adjecta epigraphe: *Willigise, memento, unde veneris!* Atquè isthæc causa fuit, cur Archiepiscopi Moguntini rotam scuto suo gentilitio inseruerint

3. *Cur Mariam Arragoniam, Conjugem suam, vivam Otho flammis addixit?*

Quòd enormium scelerum convicta esset; præsertim, quia virum Nobilem, ad scelus à se frustrà pellectum, falsis criminationibus ad supplicium capitis promoverat. Ajunt, ex innocentis viri corpore lac, sanguinis loco promanâsse.

4. *Quæ Othoni læva sors in Italia obtigit?*

Quartò in Italiam venerat, seditiosos ad officium compulsurus. Verùm ab iisdem obsessus Romæ in palatio præsens vitæ discrimen adiisset, nisi clàm evadendi occasionem nactus, rebellium furori subduxisset sese: at nihilominus mortis brevi secutæ causam indè secum tulit; Viduam quippe nobilem propinqui matrimonii spe lactârat, quæ ubi delusam se vidit, chirothecas veneno imbutas, Othoni obtulit, quarum usus mortem illi attulit Anno Imp: 18. Christi 1002.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi XI.

93. Henricus Sanctus.

1. *Quò doctore à teneris ad sanctitatem est eruditus?*

S. Wolfgango Ratisbonensium Antistite, qui

cœlo jam receptus, Henrico, tunc Bavariæ Duci, ad sui quondam præceptoris sepulchrum, oranti Imperium præsagiit geminâ voculâ; *Post Sex.* De morte imminente commoneri se ratus Henricus, diebus sex, tum sex hebdomadis, mensibus, & annis ad eandem piè obeundam egregiè se comparavit; quo evoluto temporis spatio Imperator est renunciatus.

2. *Cur dictus Claudus?*

Qua die coronatus est Italiæ Rex, in urbe Ticinensi, Itali, Regi Teutonico infensi, sumptis armis sub vesperum regiam cingunt, Henrico ad necem postulato. Is verò discrimini se subducturus, per urbis mœnia desiliit, luxatoquè crure claudicare deinceps est coactus. Hinc Claudus atquè ob virtutem eximiam Sanctus cognominatus est.

3. *Quid illi Romam ingressuro Benedictus VIII. obtulit?*

Globum aureum cruce insignem, quo indicaretur Imperatoris esse, orbem universum ad Crucis Christi obedientiam adducere. Hic porrò Globus ad cætera Imperii adjectus est insignia, eumquè Cæsares, dum Imperatorio habitu in coronatione induuntur, manu præferre solent. Coronam auream Henricus sub idem tempus à Benedicto Romæ accepit.

4. *Cur Apostolus Hungariæ, Advocatus S. Petri, & Ecclesiæ Defensor acerrimus est appellatus?*

Sororem suam Giselam Stephano Hungariæ Regi eo pacto nuptui dedit, ut is cum regno ad Christi fidem accederet, quo feliciter ob-

tento

tento datum Henrico Apostoli Hungariæ gloriosum nomen. Cùm verò terna in Italiam expeditione suscepta fortiter Ecclesiam tuereretur, quam & aliis palmaribus beneficiis auxit, Advocatus S. Petri, & Ecclesiæ Defensor cognominari est promeritus Singularis erga DEI servos in Cœnobiis amor etiam Patris Monachorum nomen illi peperit.

5. *Quid Henrico ante prælia usitatum?*

A peccatis expiari & sacro pabulo refici jubebat milites, ut Numen sibi redderent propitium. Ipse SS. Laurentium, Georgium, & Hadrianum sui exercitûs Duces elegerat, quorum sub auspiciis Deiquè præprimis auxilio fretus semper felici Marte cum hostibus conflixit.

6. *Quid cum Babone Abenspergensi Comite accidit memoriâ dignum?*

Aquisgranum ad Venationem invitârat Proceres Henricus, ea tamen lege, ut nonnisi cum uno famulo singuli comparerent, nè aliàs nimius à copioso famulitio in urbe strepitus oriretur. Adfuit Babo 64. virorum stipatus manipulo, quem ubi conspexit Cæsar, nonnihil succensuit Comiti, quòd in datam legem peccasset. At Babo minimè, inquit, Cæsar, mandatum tuum præterii. Filios meos vides triginta duos, quorum singuli singulos adducunt famulos; Illos omnes tuis obsequiis mancipatum venio. Attonitus rei novitate Cæsar Patrem cum Filiis perbenignè habuit, prospecturumquè se omnibus recepit.

7. Quî cum S. Cunegunde conjuge sua vitam traduxit?

Virgo cum Virgine castitatem illibatam semper coluit. Hinc moriturus agnatis eandem his verbis reddidit: *Recipite, quam mihi tradidistis, Virginem vestram!* Memorabile est, quod in suspicionem sceleris adducta quondam Imperatrix apud Henricum igne probâri experiêrit ad testandam innocentiam. Enimvero supra vomeres candentes nudis pedibus ambulâsse dicitur illæsa, quo prodigio abstersa est suspicio. Imperavit Henricus annos 23. ad Ann: Chr. 1024.

94. Conradus II. Salicus.

1. Quî ad Imperium promotus?

Eum Henricus Sanctus paulò ante mortem Principibus commendârat, velut apprimè idoneum sceptro cùm ob pietatem, tum ob insignem belli peritiam. Duo tamen abiêre anni, priusquam consentirent discordes Principum animi. Fuit Conradus Franconiæ Dux, plurium opinione dictus Salicus, quod ad flumen Salam ditiones suas obtineret.

2. Qua ratione Burgundia, seu Arelatense Regnum Imperio adjectum?

Burgundiæ Rex Rudolphus Testamento illud legârat Henrico Sancto, quo mortuo, solutum se sponsione existimabat. Verùm à Conrado armata manu cogitur, sibi quoquè legare Burgundiam, velut legitimo Henrici successori. Accedit, quòd judicaret Conradus, re-

gnum

gnum illud inter feuda Imperii numerandum. Archiepiscopus Coloniensis mox ab Imperatore Cancellarius per Arelatense Regnum est renunciatus, qua appellatione hodiedum gaudent Electores Colonienses.

9. Quid Beneficii Conradus in equitem contulit altero pede orbatum in bello Burgundico?

Illi ocream suam pecuniis impleri jussit, ut pedis jacturam sarciret.

4. Quare ultor fidei appellatus?

Slavi barbari effigiem Christi ligneam turpiter mutilârant; hos ille ingenti numero ad se perductos coram sacra illa imagine pariter mutilari primùm, deinde necari jussit.

5. Qualis erga Ecclesiam Conradus?

Albericus Comes Tusculanus Pontificiam dignitatem jure velut hæreditario asserere Familiæ suæ allaborarat. Jamquè binos ex eadem Papas viderat Benedictum VIII. & Joannem XX. His subrogare parabat 12. annorum è Comitibus Tusculanis Juvenem, cui impietati non opposuit se Conradus, ut debuit, & potuit. Imperavit annos 14. ad Annum Christi 1039.

95. Henricus III. Niger.

1. Quî potitus Imperio?

Henricus, à fusco capillitio dictus Niger, patre Conrado in vivis adhuc agente, ab Archiepiscopo Coloniensi admodùm adolescens coronâ Regia insignitur, tum à parentis obitu Imperator renunciatur.

2.

2 *Quænam virtutes Henrici?*

Insignis pietas, prudentia, & clementia. In præliis conserendis plus orationi quàm armis tribuit. Petrum Hungariæ Regem, à suis pulsum, restituit, contritis tandem ope Divina refractariis. Ratisbonæ, confectò gloriosè hoc bello, exceptus more triumphantis, illud Davidis ingeminabat: *Non nobis Domine, non nobis; sed Nomini tuo da gloriam*; tum vulgari veste indutus, omnia ejus urbis templa gratias DEO acturus obiit.

3. *Quid Ingelhemii in secundis nuptiis egit memorabile?*

Eò confluxerat spe lucri histrionum & mimorum turba. Ad unum omnes abigi mandat Henricus etiam impransos, hac edita memorabili sententia: Longè præstabilius esse nummos pauperibus, quàm nugatoribus elargiri.

4. *Quid à Scriptoribus carpitur in Henrico?*

Quòd in Pontificum electiones sese plús æquo ingesserit, læsa Ecclesiæ libertate. Quamvis ab aliis id factum elevetur eo nomine, quod nonnisi urgente Ecclesiæ necessitate id egerit. Mortem imminere sibi haud obscurè prœsentiens, Victorem II. Papam, virtutibus & prodigiis clarum, Româ in Germaniam evocat, ut æternitatem adituro assisteret; adstitit is, piequè obiit Henricus post annos Imp: 17. Christi 1056.

97. Henricus IV.

1. *Qualis Henricus etiamnum adolescens?*

Sex annos natus, patre mortuo, ab Agnete Religiosissima matre, ac B. Annone Archiepiscopo Colonensi sanctè educari cœpit. Verum nonnullis Imperii statibus optimi Præsulis, matrisq; institutionem minùs probantibus, Adalberto Bremensium Archiepiscopo traditur informandus.

2. *Qualis Henricus Juvenis Imperator?*

Adalberto cœcos impetus & cupiditatem Henrici, nè illius gratiâ excideret, dissimulāte ac favente, datus est Imperio Princeps haud sanè immoderatorum suorum affectuum dominus.

3 *Qua ratione Ecclesiam vexare cœpit?*

Ecclesiæ bonis abutebatur Henricus pro libidine. Ea quippe vel plus offerentibus vendidit, vel stipendium indè militi numeravit. Paternis Alexandri Papæ II. monitis morem haud gessit, nec deinceps resipuit.

4. *Quænam alia controversia illi fuit cum Pontificibus?*

Gravissima sanè. Soliti erant hactenus Imperatores Episcopis, cum clientelare obsequium exhiberent, prædia beneficiaria per annulum & pedum concedere. Jam dudum id Romanis Pontificibus displicuit; quippe cùm annulus & pedum signa sint potestâtis spiritualis, videbatur Cæsar sibi arrogare auctoritatem derivandi in Episcopos facultatèm, quâ

ipse minimè prœditus erat. Quare Gregorius VII. quosdam Henrici Consiliatorios, qui eum in Pontifices rursus irritaverant, anathemate percussit. Henrico interim diplomatis promulgationem prohibente, ac sacerdotia quævis partim pretio, partim privata auctoritate conferente. Ea de re commonitus à Gregorio, magis excanduit. Itaquè aliquot Præsulum, Pontifici maximè adversantium, conciliabulo Wormatiæ coacto, Pontificatum Gregorio, viro planè sanctissimo, tanquam multorum scelerum reo, abjudicavit.

5. Quid ad hæc Gregorius?

Non potuit non damnare facinus tam enorme ac impium. Igitur in Concilio Romano Henricum cum præcipuis Satanici illius conventiculi synedris sacro fulmine ferit. Cujus vim mox sensit Guilielmus Trajectensis Epipiscopus, Henrico in Pontifice insectando particeps & adjutor præcipuus, qui paulò pòst exspirans inter horrendos cruciatus, & ejulationes fassus est, actum esse de præsente æternaq; salute sua, quòd Pontificem Sanctissimum tam injuriosè, contumelioseq; tractâsset. Henricum porrò Pontifex regni insuper jure & titulo exuit, populosquè fidei solemnisqè sacramenti religione absolvit.

6. Quo hac animo accepere Imperii Proceres?

Pleriquè omnes Henrico aperte denunciant, statutum sibi esse Imperatorem alium subrogare, nisi intra anni curriculum communione

Ec-

Ecclesiæ restituendum se curaret, & in gratiam rediret cum Pontifice, qui ea de re certior factus comitiis Augustæ Vindelicorum habendis coràm adfuturum se recepit.

7. *Quid interim Henricus?*

Veritus, nè ad finem annus vergeret, priusquam Pontifex, qui jam Româ discesserat, ad Comitia in Germaniam appelleret, citatis equis venienti occurrere statuit. Cumquè hunc Canusium, munitissimam Longobardiæ arcem, divertisset, cognovisset, eodem se contulit, humili habitu, nudisquè pedibus veniam petiturus At Pontifex, non ex vano metuens, nè mente minùs seria ageret Henricus, tres ipsos dies alloquio hunc suo prohibuit. Postquam tamen interposita jurisjurandi religione pollicitus est, se in Pontificis Romani potestate futurum, atquè in Augustanis Comitiis objecta crimina diluturum, absolutus est ea conditione, ut, nisi promissis stetisset, Regni jure excideret.

8. *Seriane fuit Henrici pœnitentia?*

Aut seria non fuit, sed tantùm temporis gratiâ simulata, aut mox retractata; quippe rescissis, quas paulò antè jurejurando firmaverat, pactionibus, sacrilegis rursum armis lacessit Pontificem, qui sacris ei denuo interdixit. Igitur Imperii Principes, tantam perfidiam execrati, exauctorato Henrico, Rudolphum Sueviæ Ducem substituunt; qui tamen haud diu superstes fuit, manu, pauloquè post vitâ quoquè cruento in prælio amissâ

9. Quid

9. *Quid exinde consilii cepit?*

Gregorium Pontificatu dejecturus, convocato Brixinæ in Tyroli conciliabulo, Guibertum, hominem sceleſtiſſimum, in Petri ſedem intrudit, Clementem III. dictum. Inter hæc Conradus, Henrici filius, in parentem. Deo & Eccleſiæ rebellem, arma ſumit, ſed nihil promovet, morte brevì pòſt ſublatus.

10. *Quis tandem Henrici impietati modum ſtatuit?*

Alter ejuſdem filius Henricus, Procerum inſtigatione bellum infert parenti, qui deſtitutus ab omnibus, permittere ſe cogitur filio, vehementer inſtanti, Eccleſiæ tandem & Pontifici planè cumulatequè ſatisfaceret. Tergiverſantem ad Imperii Ordines, Moguntiæ congregatos adducit, ubi Imperii inſignibus exutus, hæc filio Henrico cedere compellitur, exemplo futurus poſteris, non impunè vexari Eccleſiam ab iis præcipuè, quibus ejuſdem defenſio à DEO eſt demandata. Obiit paulò pòſt anno Imperii 50. Chriſti 1106.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi XII.

97. Henricus V.

1. *Majorene in Eccleſiam, Chriſtiquè Vicarium pietate ac obſervantia fuit Henricus Filius, quàm ejus parens?*

Quo Patrem crimine condemnârat priùs, eodem ſe dein ipſe obſtrinxerat, ſacerdotia diſpertiendi ſacrosquè Præſules pedo & annulo inaugurandi jure ſibi arrogato, perquè vim extor-

extorto à Paſchali II. quem in vincula datum non antè dimiſit, quàm plenam ſacerdotia conferendi ſibi cederet poteſtatem.

2. Num rata, firmaquè manſit hæc ceſſio?

Concilium Lateranenſe exinde celebratū, irritam prorſus ac nullam declaravit Paſchalis ceſſionem, cùm quòd vi fuiſſet expreſſa: tum quòd ſacra Eccleſiæ jura in Principem profanum transferri haudquaquam poſſint. Decreto huic parere cùm nollet Henricus, à Gelaſio II. Paſchalis ſucceſſore, piorum communione ejicitur. Quâ pœna vehementiùs exaſperatus, Paſchali Gregorium VIII. Pſeudopapam oppoſuit.

3. Quò tandem pacto pax firmata eſt?

Poſtquam Henricus jure illo, per vim nuper extorto, de quo anteceſſores tantoperè diſceptârant, ceſſit bonaq; omnia Eccleſiæ ablata, reſtituenda curavit, conceſſum à Pontifice, ut Epiſcoporum & Abbatum electionibus ritè ac ſecundùm Canones factis Imperator (vel alius ejus nomine) intereſſe, electoſquè non pedo & annulo inaugurare, ſed ſceptro tanquā clientes Imperii fiduciarios, in fidem & clientelam poſſit recipere. Ità ſedati tandem ſunt motus turbulentiſſimi, quibus Petri navicula annos fermè quadraginta fuerat agitata. Obiit Henricus anno Imp: 20. Chr. 1125. nullo relicto hærede maſculo.

98. Lotharius II. Saxo.

1. *Quis Henrico successit?*

Hujus nepotibus ob avi patrisquè flagitia repudiatis, ad Lotharium, Saxoniæ Ducem pietate, cæterisquè virtutibus insignem, versa sunt Principum Electorum studia.

2. *Num Imperator hic Ecclesiæ Advocatum ac defensorem pro muneris sui ratione se exhibuit?*

Omnino; nam rebus in Germania, conciliatore potissimùm S. Bernardo, compositis Innocentium II. à Rogerio Siculo, Anacleti Pseudopapæ defensore acerrimo semel atquè iterum Sede pulsum, restituit, Rogerio, cum Antipapa suo Petro Leonis sive Anacleto terrâ mariquè debellato.

3. *Quibus præcipuè virtutibus claruit?*

Inter ipsos Armorum strepitus, gravissimaquè Imperii negotia ternis quotidie Missæ sacrificiis, summo pietatis sensu, lacrymisquè, quibus orationes suas rigabat, interfuit, solem orientem prævertere solitus, Deoquè consecrans lucis primitias, quas alii somno tribuunt, die in noctem, præpostero sanè ordine, converso. Pauperes quibus pedes cum Augusta sæpe abluerat, Filios suos, Sacerdotes, quorũ consuetudine impensè delectabatur, Patres, viduas, quas contra potentum oppressiones strenuè tutabatur, Matres nuncupare consueverat.

4. Num

4. Num bonarum quoquè artium & disciplinarum cultor fuit?

Plurimùm certè Jurisconsulti debent Imperatori huic; quippe qui & Romæ primùm, & deinceps Bononiæ Jus civile ad normam Codicis Justinianei explanari publicè, indeq; Doctores solemni ritu inaugurari voluit. Qui dein mos ritusquè ab aliis quoquè Academiis est receptus. Imperavit Lotharius annos 13. ad annum Christi 1138. subito morbo, cùm ab expeditione Italica rediret, haud procul Tridento exstinctus, Imperii insignibus genero suo Henrico, Saxoniæ & Bavariæ Duci, traditis.

99. Conradus III. Svevus.

1. Quosnam hic competitores habuit?

Henricum Superbum, Bavariæ & Saxoniæ Ducem, hujusquè fratrem Guelphonem. Ille post multa prœlia inauspicatò inita, utroquè Ducatu privatus, mœrore contabuit. Hic post bellum diuturnum, suasu præcipuè & operâ Rogerii Siciliæ Regis cum Cæsare susceptum in gratiam tandem restitutus est post urbis Winsbergæ deditionem.

2. Quid in urbis hujus deditione singulari memoriâ dignum occurrit?

Guelpho, omni belli nervó, quem Rogerius aliquamdiu suffecerât, destitutus, Winsbergam, tanquam receptaculum tutissimum, cum suis se recepit; sed fame urgente, urbem demum victoris arbitrio permittere est coactus.

nec aliud jam, quàm Guelphonis, eiquè adhærentium mors aut captivitas, urbisquè direptio instabat, cùm Matronæ nobiles, non tam de fortunis suis, quàm maritorum vita solicitæ, Cæsari supplicant, asportare sibi id duntaxat liceret, quod suis ferre possent humeris. Annuente Cæsare, Guelphonis primùm uxor, tum hujus exemplo cæteræ suum quæq; maritum, humeris exceptum, furori militum subduxêre. Delectatus pio astu Cæsar non urbem tantùm in fidem & gratiam, sed Guelphonem quoquè in amicitiam & familiaritatem recepit

3 *Quem successum habuit expeditio sacra à Conrado, hortante S Bernardo, in Palæstinam suscepta?*

Belli apparatus erat tantus, ut orbi universo expugnando suffecturus videretur; qui tamen in irritum cecidit, tum Græcorum perfidiâ, qui calce & gypso farinæ admisto longè plurimos necabant, consiliaquè omnia Turcis aperiebant; tum Ducum ipsorum discordiâ & invidiâ, quæ Gallos inter & Germanos gliscebat. Unde Damasco frustrà oppugnatâ, Conradus ad suos redux, aliquantò pòst Bambergæ obiit, cùm de pacanda Italia cogitaret. Imperavit annos 14. ad annum Christi 1152.

100. Fridericus Ænobarbus.

1. *Cur huic Imperii dignitas delata?*

Erat Fridericus, Conradi ex fratre nepos, ob barbam subrufam, à Latinis Ænobarbus, ab

ab Italis Barbarossa cognominatus, præclaræ omnino indolis Princeps, cui patruus, præ filo suo teneræ etiam dum ætatis, Imperii insignia cum ditione vivus tradidit, hocquè defuncto, Electores communi suffragio confirmârunt.

2. *Unde prima dissensionum Papam inter & Cæsarem jacta semina?*

Prima in Italiam expeditione domuit Imperator omnes, qui adversabantur Pontifici, à quo coronâ aureâ Romæ est insignitus. Non multò pòst Friderico in Germaniam reverso, Londinensis Episcopus Româ redux, à Germanis captus, libertatem magno pretio redimere cogebatur. Questus ea de re Hadrianus Papa, hæc suis ad Cæsarem literis inseruit: *Insigne tibi beneficium coronæ contulimus.* Nequè enim ignorabat Põtifex, cõvivẽte Imperatore, Præsulem illum duriùs habitum. Hæc verba acriter pupugêre Imperatoris animum, quòd iisdem significari putaret, coronam Imperatoriam se debere unicè favori Pontificis. Nequè deferbuit Principis, naturâ prærervidi, ira, quamvis Hadrianus aliâ epistolâ, non eam sibi mentem fuisse, declarâsset.

3. *Quænam altera & propior dissensionum causa?*

Altera in Italiam expeditione Mediolanenses, quòd Insubriæ totius dominuum affectarent, injecto freno còercuit Cæsar. Inde ad examinanda vindicandaquè Imperii per Italiam jura & bona clientelaria progressus, in sacra quoq; Ecclesiæ jura involavit, Henricos

Antecessores suos in conferendis Sacerdotiis, & Episcopis inaugurandis imitaturus. Pessimè habuit Papam sacrilegum facinus; jamquè sacrum fulmen in Fridericum cudebat, cùm morte abreptus, successori provinciam sanè difficillimam relinquit.

4. Quæ tandem memoratæ diffusiones in apertum Schisma erupêre?

Alexandro III. in Pontificem ritè electo, Cardinales duo, Cæsaris addicti partibus, Victorem V. Antipapam opposuêre. Huic Fridericus illico adhæsit, frustrà Imperii Principes ad idem faciendum cohortatus. Igitur anathemate utrumquè ferit Alexander, nec multò pòst Victor impius ad DEI tribunal evocatus est.

5. Quo pacto fovere schisma perrexit Fridericus?

Mortuo Victori Pseudopapam alium subrogandum curavit Paschalem III. quem pertinaciter & ipse defendit & ut Germaniæ Præsules eidem adhærerent, vi compulit. Sub idé tempus Mediolanum solo æquatum, quòd in Cæsarem insurrexisset.

6. Quem exitum tertia Friderici in Italiam expeditio sortita est?

Pseudopapam propugnaturus, Romanosquè & Venetos, Alexandro addictissimos oppugnaturus, numeroso cum milite advolavit. Verùm peste in exercitum atrociter grassante, Germaniam repetere coactus, mortuo interea Paschali Calistum III. itidem Pseudopapam suffecit, Præsulum diffidentium operâ. 7.

7 *Quænam quartæ expeditionis Italicæ causa?*

Mediolanenses non solùm urbem suam denuo instaurârunt sed novam insuper S. Petri, ejusquè successoris Alexandi III. honoribus exædificârunt, Alexandriam dictam. Id indignissimè ferens Cæsar ingenti cùm exercitu ad novam hanc urbem exscindendam accurrit.

8. *Quæ expeditionis hujus fortuna?*

Sinistra sanè; quippe Alexandriam oppugnare adortus, eas tandem in angustias redigebatur, ut vitæ etiam periculum haud leve subiret. Accessit clades naualis, à Veneris illata, ubi Otho ipse, Friderici filius cum 46. navigiis captus, & Venetias est abductus In cujus victoriæ perenne monumentum Dux Venetus quotannis mare Adriaticum, projecto illuc annulo aureo, sibi despondere solet.

9. *Num saniora tandem cepit consilia?*

Tot tantisquè malis fractus Imperator vindicem Dei agnovit manum, serioquè de pace cum Ecclesia ineunda agere decrevit. Quem in finem Venetias profectus, se totum permisit Christi Vicario, cujus pedē non solùm iterato osculo est veneratus, sed ascensuro in equum etiam stapedem tenuit. Vanissimum proinde commentum est, Alexandrum, eximiæ mansuetudinis & prudentiæ Pontificem, Imperatoris in genua provoluti collum calcâsse, hisque insultâsse verbis: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

10. *Quid exinde memoratu dignum gessit Fridericus?*

Ut præteriti delicti, in Ecclesiam admissi, aboleret memoriam, Hierosolymam, ab Saladino captam, recuperaturus, cum centum quinquaginta millibus armatorum in Orientem contendit, præclarè ubiquè & fortiter gestis, dum ecce! luctuosa, prorsusquè inexspectata Cæsaris mors prosperum victoriarum cursum, spesquè ingentes repentè abrupit. Nam dum is corpus, æstivis caloribus fervidum, in Cydno, prægelido Ciliciæ amne, parat abluere, frigoris vehementiâ totus repentè obrigescere, & animo linqui cœpit. Extractus confestim, sibiq; paulisper redditus, grates egit Deo, quòd in expeditione, Religionis, Christiq; Imperii dilatandi studio suscepta, evocaretur ex hac vita, quam Deo in placationis hostiam offerens, seque totum Numini permittens, posuit anno Imperii 38. Chr: 1190.

101. Henricus VI. Asper.

1. *Verumne, Cælestinum III. Coronam Henrici capiti impositam, mox pede decussisse, ut ostenderet, potestatem dandi, auferendiq; coronas esse penes Pontificem?*

Cùm facti hujus tam insolentis præter Scriptores Acatholicos nemo meminerit, avilibus id fabulis annumeramus. Nec injuria de veritate suspectos habemus juratos illos Romanæ Ecclesiæ hostes, maximè quando invehuntur in Pontifices, Christi Vicarios, quos Antichristos

ſtos per atrociſſimam calumniam appellare non horrent rebelles Eccleſiæ filii.

2. Quo pacto Siciliæ Regnum Henricus obtinuit?

Hoc dotis loco à Conſtantia Guilielmi ultimi Siciliæ Regis filia Henricus conjux accepit. Regni tamen poſſeſſionē adire priùs haud potuit, quàm Tancredus, Guilielmi nothus, quem fruſtrà armis impetierat; è vivis exceſſit. Potitus tandem regno, diris ſuppliciis in eos animadvertit, qui Tancredo adhæſerant. Jordanum Comitem, quòd ſceptrum Siculum affectâſſet, ſellæ candenti imponi, ferreamq; coronam ejus vertici clavis affigi juſſit, crudelitate ſanè inaudita; unde meritò *Aſper* cognominatus eſt.

3. Quid à propria conjuge eſt paſſus?

Ad Siculos ſuppliciis mactandos cùm denuo ſe accingeret, popularium ſuorum vicem miſerata Conſtantia, conjugem vi armorum, & Procerum conſpiratione eò adegit, ut pacem ipſe à ſubjectis ſibi populis petere cogeretur. Mortuus eſt anno Imperii 7. Chr: 1198. non ſine ſuſpicione propinati ab ipſa uxore Conſtantia veneni, redditis tamen omnibus, quæ Eccleſiæ priùs abſtulerat.

102. Philippus.

1. Quas difficultates Imperator hic ſubiit?

Fuit Philippus è filiis Barbaroſſæ natu minimus, cujus electionem ratam habere noluit Innocentius III. qùòd novas ab illo tricas metueret. Eundem Otho V. armis quoq; laceſſivit, Imperium ſibi vindicaturus.

2. Utri tandem sceptrum adjudicatum?

Eò conventum est, ut Philippus, quoad viveret Imperium retineret, succedendi jure Othoni relicto, cui nuptui quoq; data Beatrix Philippi filia cum Regis Romanorum titulo. Quæ omnia probavit quoq; Pontifex. Occisus est Phillippus Bambergæ à Comite Palatino, anno Imperii 10. Christi 1208.

CAPUT V.

Imperatores Sæculi XIII.

103. Otho IV. Saxo.

1. Quidnam de illo memorabile?

A Philippi obitu Imperator coronam accepit Romæ ab Innocentio III. sed cùm postea in Pontificii juris territorìum involâsset, anathematis fulmine est percussus.

2. Quam vim anathema hoc habuit?

Imperii Principes propè omnes, Othone relicto, Fridericum II. Henrici Asperi filium, & Ænobardi nepotem ad Imperii solium evexerunt. Otho exinde in Saxoniam secessit, se ipse vehementer incusans, quòd Ecclesiam turbâsset. Imperavit annis 10. ad annum Christi 1218.

104. Fridericus II.

1. Meliûsne cum Pontifice convenit Imperatori huic, quàm avo Barbarossæ?

Tres, qui ordine successêre, Pontifices diro Fridericum anathamate quater perculêre, cū quòd mandatis eorum morem gerere detre-

cta-

ctabat, tum quòd injustis vexationibus Ecclesiam exagitabat.

2. *Quænam primi anathematis causa?*

Quòd expeditionem sacram, voto firmatã, procrastinabat, cum præsenti Palæstinæ iterum amittendæ, reiq; Christianæ inibi funditus interituræ periculo.

3. *Cur secundò à fidelium communione est seclusus?*

Quòd suscepta tandem expeditione, iniquissimis conditionibus pacẽ inierit cum Saracenis, eosdem hãud difficulter subacturus, si seriò voluisset. Fuit tamen Ecclesiæ denuo conciliatus.

4. *Unde anathema tertium?*

Longobardiæ civitates contra datam fidem oppugnare agressus est Fridericus, quòd à Pontifice starent. Sardiniam insuper occupavit, Gibellinorum factione suffultus. Quare *Cruciatam*, seu expeditionem sacram adversus Fridericum Ecclesiæ hostem indixit Pontifex; qua tamen nihil aut parùm admodum promovit.

5. *Unde anathema quartum?*

Exstincto interea temporis gemino Pontifice, ad Ecclesiæ clavum sedere cœpit Innocentius IV. Finem Is tot urbis facturus, Legatos ad Cæsarem cum litteris mittit, & ad pacem componendam invitat. Nihil hisce permotus Imperator, viros Religiosos haud paucos, cum literis à Pontifice missos, laquei supplicio addicit. Deniquè ne in urbanitatis lege

ge peccâsse videretur, Legatos & ipse ad Pontificem destinat, quem interea ex insidiis cõprehendere parat. Quo comperto Innocentius Galliam petit, coactoq; Lugduni Concilio ad causam ibidem dicendam Fridericum citat, ac renitentem anathemate ferit.

6. Num victas tandem manus dedit?

Quin potiùs inde efferatior, in Pontificem ac Sacerdotes furere cœpit, & tertiam proventuum partem exigere ab Ecclesiasticis, ùt nè deessent ex ipso Ecclesiœ ærario subsidia, quibus Ecclesiam impugnaret. Monet igitur Pontifex, aliud Imperii caput designarent Principes. Hi Henrico Rasponi Thuringæ Landgravio, sceptrum deferunt, eoq; haud multò pòst è vivis sublato, Guilielmum Hollandiæ Comitem substituunt, inane Cæsaris simulacrum, quod vix quidquam memoriâ dignum gessit. Unde nec inter Cæsares à plurimis numeratur.

7. Quis tandem Friderici exitus?

Postquam Italiam intestinis odiis, & periculosis Guelphorum, qui Pontifici, ac Gibellinorum, qui Friderico adhærebant, factionibus laceraverat, Parmenses arctissima duorũ annorum obsidione pressit, qui facta tandem eruptione Cæsarem castris, exercitu, honore, imò & coronâ imperatoriâ, quam intercepêre, spoliatum, in turpem fugam conjecêre. Captus quoq; à Bononiensibus & ferreæ caveæ ad mortem usq; inclusus Enthius Friderici nothus, quem, cùm hic oblata licèt ingenti auri

summâ

summâ redimere haud posset, vel mœrore, vel, ùt multi arbitrantur, veneno, quod Manfredus, alter Friderici nothus propinâsse fertur, periit anno Imperii 32. Christi 1250. An verè pœnitens, haud liquet.

105. Conradus IV.

1. An Ecclesiæ & Imperio tranquilitatem reddidit Conradus?

Novis iterum turbis agitata omnia. Guilielmus Batavus cum Conrado de Imperio contendebat, quamvis irrito labore. Conradus Neapolin & Siciliam fratri erepturus, Italiam armis infestabat, ubi vitam suaquè amisit, veneno necatus à Manfredo, cùm annum quartum imperâsset, anathematis vinculo etiam dū irretitus. Cujus exequiæ dum celebrarentur Messanæ, templum incensum est, ejusq; cadaver igne consumptum.

2. Quinam á Conradi obitu Imperatores lecti?

Occiso duobus pòst annis Guilielmo Batavo, Electores in diversa distracti, alii Alphonsum Sapientem, Castellæ Regem, alii Richardum Angliæ Regis fratrem suffecêre. Prior dum Imperium tot turbis, discordiis, factionibus implicatum cunctatur accipere, Maurorum interim armis lacessitus, suo potiùs Regno debuit prospicere, nè cani illi Æsopico similis rideretur. Alter post ingentes pecuniæ sumptus incassum factos redire in Angliam coâctus est. Unde Imperium mansit acephalum.

3.

3. *Quid de Conradino, Conradi IV. filio memorant Historiæ?*

Patre mortuo in Italiam movet cum Friderico Austriæ Duce Regni Siculi & Neapolitani aditurus possessionem Istud Clemens IV. Carolo Andegavensi, S. Ludovici Galliæ Regis fratri, tradiderat ea conditione, ut Manfredum Siciliâ pelleret. Quo dein occiso, Cōradinus, & Carolus de regno obtinendo armis contenderunt. Sed victus ille unà cum Friderico, multaq; Nobilitate, Caroli jussu, publico in foro Neapoli obtruncatus est Quo fatali ictu stirps Barbarossæ omnis, Ducumq; Sueviæ surculus postremus excisus est.

4. *Num verisimile est, Carolum, Clementis IV. instinctu, vitam eripuisse Conradino?*

Id contra omnem veri speciem commiscuntur heterodoxi Quin potius constat, Pontificem illum, moderatione & pietate insignem factum tam crudele Carolo vehementer exprobrâsse.

5. *Quæ porrò Gallis, Caroli militibus, in Sicilia evenêre?*

Tredecim pôst annis ipsa die Christo resurgenti sacra, dato ex more ad vespertinam psalmodiam signo, octo Gallorum millia ex condicto trucidata sunt. A. Chr. 1282. Inde *Vesperæ Siculæ* in proverbium abiêre.

Inter-

Inter-Regnum.

1. *Quam diu hoc duravit?*

Annos 22 ab An. Christi 1150. ad 1173. Quo toto tempore aut Imperator nullus fuit, aut certè talis, qui vix Imperatoris nomen gesserit. Horum è numero fuêre Cõradus IV. Guilielmus Batavus, Alphonsus Sadiens, Richardus Anglus.

2. *Cur anni quatuor Imperantis Conradi ad Interregnum referuntur?*

Quòd Conradus, ùt ùt legitimè electus, nihil præstiterit, quo componerentur Imperii turbæ, adeoquè regnante illo jam cœperint gravissima Interregni incommoda.

3. *Quænam illa incommoda?*

Summa rerum omnium conversio ac perturbatio; cùm enim Imperium capite careret, ac judice, *jus* illud *armatum*, seu *vindicationis privatæ* (rectiùs latrocinium dixeris) per Germaniam invaluit. Unde cædes mutuæ, rapinæ, incendia, direptiones, vastationes, malàquè innumera.

4. *Quis Sueviæ Ducatum exinde obtinuit?*

Occiso Conradino Imperator non erat qui Ducatum hunc alteri committeret. Exstinctus igitur is fuit, nec ampliùs posthac restitutus. Hine Sueviæ urbes quàm plurimæ in libertatem se ipsæ asseruêre; ex quo maximo quoquè numero minora subinò exorta sunt dominia.

Obser-

OBSERVATIONES.
Hiſtoricæ, Politicæ, Morales, & Geographicæ ad tertiam partem.

1. *Qua ratione vel auctum, vel imminutum eſt Imperium à Carolo M. usque ad Interregnum*

Tria hic diſtinguimus tempora. 1. Florentiſſima fuit Imperii facies regnante Carolo M. cujus pietate & fortitudine auctum maximè & illuſtratum eſt. Remiſit ſplendor & robur ſtatim ab obitu Caroli, cujus filii virtute multum diſſimiles patri, accedente inſuper Provinciarum diviſione multiplici, impares erant retinendo Imperii robori. 2. Othonis M. felix magnanimitas ſplendorem reſtituit, integrum ſervavit Henrici ſanctitas. 3. Duo Henrici, & Friderici ob negatum precipuè Chriſti Vicariis obſequium ſibimet ſiniſtros negotiorum eventus, ſtirpis ſuæ exciſionem, Imperii diminutionem, cælo auſus improbos minimè ſecundante, accerſiuerunt. Hinc triſtiſſima, durante Interregno, jacentis Imperii facies, rerúmque ſumma confuſio, ac perturbatio.

2. *Quantum augmenti detrimentique paſſa eſt Eccleſia indè à Carolo M. usque ad Interegnum?*

Tres itidem temporis differentiâs notari velim. 1. Carolus M. laboranti Reipublicæ divinitus ſubmiſſus miris incrementis auxit Eccleſiam, pluribus ad eam adductis, firmatáque ſummopere ſanctæ ſedis auctoritate. 2. Otho

tho M. veterem Pipini, Caroli M. & Ludovici donationem novo decreto sanxit. Et quanquam sedi Apostolicæ aliquantisper adversabatur; brevi tamen, divinis etiam flagellis admonitus, ad mentem rediit erroremquè suum magnis beneficiis in eandem sedem collatis compensavit Quantum porrò splendoris Henrici sanctitas, tantum firmitatis juncta sanctitati fortitudo Ecclesiæ attulit. 3. Agitari potuit sub Henricis & Fridericis Petri navicula, everti non potuit? quin potius omni procella superior feliciter tandem emersit. Sanctitate insuper & miraculis semper claruit, ùt in Historia Ecclesiastica memorabitur.

§. *Qua occasione Romanorum Imperium translatum à Græcis ad Carolum M.*

Cùm Ecclesia Romana diu multumquè hinc ab Imperatoribus Græcis sacrilegis præcipuè imaginū exterminatoribus, illinc à perfidis Lōgobardorum Regibus exagitaretur, opus sanè erat Othoniele, aut Gedeone aliquo, qui populum Dei durissima servitute liberaret. Fuit is Carolus nomine Magnus rerum gestarum gloriâ Maximus, ex antiquissima Ducum Austrasiæ prosapia, Galliæ, Germaniæ, & Longobardiæ, posteaquam Desiderium, ultimum Longobardorum Regem debellaverat. Hunc igitur Carolum S. Leo Papa III. singulari Dei dispositione & instinctu ipsa die, Christo nascenti sacra, Romanorum Imperatorem in Occidente, simulquè Advocatum, Defensorem, & Propugnatorem Ecclesiæ proclamavit, & in

auguravit, acclamante Clero, populoquè Romano universo: *Carolo Augusto, à Deo coronato, vita & victoria?*

4. Num Carolus M. natione Germanus fuit?

Etsi Gallorum quidam contradicant, id tamen exinde manifestum fit, quòd Ingelhemii haud procul Moguntiâ natus, Aquisgrani, celebri Germaniæ urbe, sedem regiam fixit, ibidemquè gloriosa morte obita, sepulchrum sibi delegit. Accedit luculentum sanè duorum Pontificum Adriani IV. & Innocentii III. testimonium, diserte asseverantium: *Imperium à Græcis translatum in Persona magnifici Caroli ad Germanos.*

5. Quinam in Oriente rerum status, post instauratum Occidentis Imperium?

Orienti deinceps præesse perrexerunt Græci duntaxat Imperatores, Romanorum Imperio, ut modò dictum est à Græcis ad Germanos trãslato. Secuta indè Ecclesiæ Græcæ à Latina dissensio, ac divortium, totiusq; tandem Imperii interitus longè funestissimus, capta à Turcis Constantinopoli A. Chr: 1453. & Oriente sub Barbarorum jugum & tyrannidem redacto.

6. Qua ratione ad Imperium evectis Cæsares hisce Sæculis?

Sæculo IX. jure sanguinis imperârunt Carolingi Sæculo X. XI. & XII. eligebant Imperatorem Status, & Principes Imperii simul universi, non sine respectu ad sanguinem Regiũ.

7. Quan-

7. *Quando, & à quo instituti septem Imperii Electores?*

Tametsi de tempore ipso non satis conveniat inter scriptores etiam Catholicos; id tamen constat numerum Electorum septenariũ circa medium Sæculum XII. post varias, quæ in eligendo Imperatore præcesserant, contentiones & dissidia prævaluisse; & quidem Romanorum Pontificum auctoritate: id quod nō solùm Innocentius III. & Clemens V. sed ipsimet Electores in Epistolâ, ad Nicolaum III. data, disertè luculenterquè testantur. Plurimùm nempe interest Ecclesiæ Romanæ, cujus *Advocatus* & Defensor ex officio suo est Romanus Imperator, ut is eligatur, qui Ecclesiam propugnet potiùs, quàm oppugnet.

8. *Quodnam igitur Imperatoris Romani munus, & officium præcipuum?*

Christi Ecclesiam tueri adversùm paganos, Hæreticos, Schismaticos, Tyrannos, omnesq; alios Christianæ Reipublicæ pacem disturbantes; unde hodieq; Imperator *Advocatus Ecclesiæ* nuncupatur.

9. *Quanta Imperatoris Romani dignitas?*

Inter Reges & Principes Christianos universos locum is obtinet præcipuum. Hinc & Ecclesia in statis solennibusq; suis precationibus peculiarem de *Christianissimo, & Devotissimo Imperatore* mentionem facere consuevit.

10. *Quid Imperatori confert Pontificis coronatio?*

Cœleste indè auxilium per Ecclesiæ preces

eidem conciliatur, roburq; ac fortitudo, qua resistere possit Ecclesiæ hostibus. Cæsares porrò, à Pontifice necdum coronati, appellari solent *Electi* Romanorum Imperatores.

11. *Quandonam primùm creati Comites & Barones?*

A Carolo Magno, qui etiam primus solennes Imperii Conventus instituit, ubi de gravissimis negotiis tractabatur.

12. *Quas Provincias Imperatores possidebant hisce Sæculis videlicet IX. X. XI. XII.*

Carolus M. Regnum Italiæ, Galliæ, & Germaniæ: successorum plerique Italiam solùm & Germaniam obtinebant.

13. *Ubinam Regnum Austrasiæ, & Arelatense?*

Austrasia complectebatur Alsatiam, Lotharingiam, Palatinatum inferiorem, Belgii partem magnam &c. Regnum Arelatense idem fermè erat, quod Burgundicum, hisquè constabat provinciis, Comitatu & Ducatu Burgundiæ, Helvetiâ, Sabaudiâ, Delphinatu, &c.

14. *Quænam celebriores familiæ, è quibus Imperatores delecti?*

Sæculi IX. Imperatores novem Carolingi præfuêre. Transiit paulò pòst Imperium ad Saxones, quorum quinq; continuè sibi succedebant, nempe Henricus Auceps, Otho M. Otho II. Otho III. Henricus S. Bavariæ Dux. Secuti sunt Francones quatuor, Conradus Salicus. Henricus III. Henricus IV. Henricus V. Tum Suevi sex, Cõradus III. Fridericus Ænobardus, Henricus VI. Philippus. Fridericus II. Conradus IV.

Anim-

Animadversiones Criticæ, Ad tertiam partem Historiæ Imperatorum.

1. *Cur Scriptores Acatholici suas passim Historias tot conspergunt mendaciis & calumniis adversùs Ecclesiam, & Pontifices.*

Quia oderunt lupi pastorem, gregi suo strenuè naviterq; invigilantem; nec aliter sectam suam dealbare, & apostasiam purgare se posse opinantur, quàm denigrando & criminando illibatam Christi Sponsam Ecclesiam, supremosquè ejus Antistites, quibus Christus ipse agnos & oves suas pascendas tradidit.

2. *Quò verò præcipuè collineant tot eorum sycophantiæ, fraudes & calumniæ?*

Dum Pontifices Romanos plerumquè depingunt, ùt homines ambitiosos, feroces, arrogantes, qui summum orbis imperium affectent &c. Id intendunt, ut omnium ludibrio & contemptui exponant Christi Vicarios. Cumquè Ecclesiam ipsam, utpote Petræ inexpugnabili inædificatam expugnare se posse desperent, insultare saltèm, & illudere non cessant supremo ejus Antistiti.

3. *Nulline ergo Pontifices reprehensione digni?*

Fuêre nonnulli moribus minimè inculpatis, id quod super tecta prædicant Acatholici, nequè silent Orthodoxi; at fuêre multò plures,

imò pleriq; omnes ſanctitate, prudentiâ, & morum integritate conſpicui. Quas laudes vel ſilent omnino, vel niſi parciſſimè attingunt Scriptores Acatholici. Verùm hac de re pluribus in Hiſtoria Eccleſiaſtica.

4. Num aut Carolo, aut Othoni M. conceſſa unquam poteſtas propria auctoritate conſtituendi aut gradu movendi, Pontifices?

Quanquam olim ob maximam temporum illorum perturbationem à Romanæ ſedis oppugnatoribus, intruſisquè per eos Pontificibus invectam, Eccleſia affliƈtiſſima Imperatoris opem, auctoritatemq; in nominando Papa, aut ejus electione probanda, vindicandaquè implorare cogebatur; falſum tamen eſt Imperatores jurisdictionem, aut poteſtatem ullam arrogare ſibi potuiſſe in Eccleſiam, ejuſq; Caput circa conſenſum ejuſdem Eccleſiæ. Cui proin fruſtrà inſultant heterodoxi, dum Pontifices ſubdere volunt Imperatoribus, quos illi tunc temporis potiùs propugnatores ſuos, quàm oppugnatores ſensêre, & agnovêre. Falſum itèm, aut Conſtantinum aut Carolum M. aliumvè è ſucceſſoribus, inſcio & inconſulto Pontifice, aut Synodos legitimè convocâſſe, aut iisdem præſediſſe.

5. Num laudandi Carolus & Otho M. quòd Conſtantini M. exemplo Eccleſiam multis magnisquè poſſeſſionibus dotârint, & locupletârint?

Hanc pluſquam regiam munificentiam moleſtiſſimè ferunt Acatholici, juratiquè Eccle-

ſiæ

ſiæ & Sacerdotii hoſtes; mallent quippe Eccleſiæ Paſtores inermes prorſus ac inopes, omniquè nervo ac juſtæ defenſionis præſidio penitùs deſtitutos eſſe, ut nempe in hos, ipſumq; ovium gregem impunè graſſari, & quæ illi ex pia Catholicorum liberalitate poſſident, optimeq; ùt plurimùm, & utiliſſimè diſpenſant, alios longè in uſus poſſent convertere. Et cur Eccleſiæ Præſulibus ſua hæc bona invident, cùm Deus ipſe priſcis illis temporibus Sacerdotes & Levitas opibus longè majoribus cumulârit, dum præter tot urbes ampliſſimas cū paſcuis circumjacentibus, omnium inſuper frugum, pecorumq; decimas, primitias, primogenita, aut lytra eorum, ſacrificia itèm, & oblationes omnes &c. vel ex toto, vel certè ex parte iiſdem attribuit? Quæ omnia ſi nunc quoq; ſummis Pontificibus, cæteriſq; Sacrorum adminiſtratoribus præberentur, ne illi multò amplioribus, quâm unquam adhuc opibus abūdarent. At fortè etiam ſumptus propè immenſos, uti olim à Davide, Salomone & aliis, ita hodie quoq; à tot Principibus Catholicis in tēplorum fabricam ornatumquè profuſiſſimè impendi ſolitos, meliùs ſcilicet locatos vellent Acatholici. Sed caveant, nè dum ex ſacrilegis ſpoliis cum infelice illo Angliæ Rege *Eccleſiæ* primùm *Defenſore* ſtrenuo, dein acerrimo oppugnatore cupiunt diteſcere, cum eodem ſera nimis & inutili *confeſſione* fateri tandem cogantur: OMNIA PERDIDIMUS!

 6. *Utrùm*

6. *Utrùm Henricus IV. à Pontifice, an potiùs Pontifex ab Henrico iniq; est vexatus?*

Nec debuit, nec potuit permitere Gregorius VII. ut in Sacra involaret Henricus Cæsar, sacerdotia immerentibus conferret, ditioribus venderet, imò & proventus sacros in militum stipendia insumeret. Coërcendus itaq; fuit pœnis Ecclesiasticis, cùm nec paterna monita nec minæ quidquam proficerent. Id ipsum de Henrico V. Friderico I. & II. sentiendum. Cæterùm si Magnum illum Theodosium, S. Ambrosio, scelus exprobanti, castigantiquè submissè auscultantem, imitari voluissent hi Imperatores sibi gloriam, Ecclesiæ & Imperio trãquillitatem peperissent.

7. *Quænam Mathildis illa, cujus gloriosa nominè infamiæ notam inurere tentant Acatholici?*

Erat Bonifacii Hetruriæ Marchionis filia, pietatis, fortitudinis supra sexum generosæ, & castimoniæ miraculum, hæres unica amplissimarum in Italia provinciarum, quas omnes legavit Ecclesiæ; quanquam donatio hæc postea haud parùm est imminuta. Portio porrò illa, quæ Ecclesiæ obvenit, *Patrimonium S. Petri* appellari solet.

8. *Rectene egisse censendus est Henricus V. quòd sua Ecclesiæ jura in deferendis Sacerdotiis salva tandem atq; integra esse voluerit?*

Præclarè omninò egit, ac laudabiliter; quãvis Imperii detrimenta, nescio quæ, enata indè fuisse fabulentur Acatholici.

9. *Cur*

9. Cur expeditiones sacræ vocabantur Cruciatæ?

Ob crucem, vexillis vestibusq; in dextro humero assutâm, quæ sacræ illius militiæ insigne erat ac tessera. Prima hujusmodi expeditio adornata est A. C. 1096. Ductore Godefredo Bullionio, qui captâ Hierosolymâ primus ibidem Rex omnium suffragiis est electus. Alia itèm A. C. 1147. Duce & Imperatore Conrado III. Alia A. C. 1189. Duce & Imperatore Friderico Ænobardo. Universè octo celebriores *Cruciatæ* numerantur.

10. Quid de Expeditionibus istis sentiendum?

Has à tot Principibus Christianis virtute ac belli gloriâ celebratissimis, svasu etiam & instinctu S. Bernardi, aliorumq; Virorum Sanctissimorum rectè utiliterq; susceptas fuisse luculento sanè argumento esse potest vel solum Regnum Hierosolymitanum, quod bina propè sæcula perduravit. Si proin omnium laudibus celebrantur Cyri expeditiones, quibus Monarchiam Persicam, post bina sæcula ad Græcos translatam, fundavit, non est, cur ille sacri belli apparatus carpatur ab Acatholicis, atquè in irritum cecidisse dicatur.

11. Cur memoratæ expeditiones exitum minùs optatum, ut plurimùm sortiebantur?

Præter arcana DEI judicia, quæ submisse potiùs adorare, quàm curiosiùs scrutari oportet, in causâ fuêre cùm frequentes Christianorum Principum discordiæ, tum præcipuè plurimorum, non re sed nomine duntaxat Christianorum

rum flagitia, quibus vel ipſis Saracenis pejores exiſtimari haud injuriâ poterant. Atq; hæc præcipua ſanè cauſa eſt, quòd Paleſtina, totq; aliæ regiones nobiliſſimæ ſub duriſſimo Turcarum jugo tot jam ſæculis gemant, tunc demum in libertatem aſſerendæ, quando Turcarum peccata graviora fuerint peccatis eorum, qui ſub inani Chriſtiani nominis larva vitam ducunt ſceleratiorem, quàm ipſimet Pagani & Mahometani, Chriſtianæ fidei lumine deſtituti.



PARS IV.

Romanorum Imperatores Germani à Rudolpho I. Habsburgico ad Carolum VI. Auguſtum.

Complectitur pars iſthæc Imperatores duos & viginti, qui per ſæcula quinquè cum dimidio Imperii gubernacula tenuêre.

CAPUT I.

Reliqui Romanorum Imperatores Sæculi XIII.

106. Rudolphus I. Habsburgicus.

1. *Quis quantuſq; hic Heros?*

Erat Comes Habsburgi, Alſatiæ Landgravius ampliquè in Helvetia territorii Dominus, genus ſuum & originem referens ad Carolum

M.

M. per Domum Lotharingicam, Austriacæ gentis inclytus Patriarcha, & Heros non pietate minùs quàm fortitudine præstans, qua, uti & prudentiâ singulari Imperium post 22. annorum Interregnum felicissimè instauravit.

2. Quâ viâ ad supremum Imperii fastigium est evectus?

Fluctuante aliquandiu Imperio, gubernatore destituto, Gregorius Papa X. turbatis Germaniæ rebus prospecturus, de Imperatore designando commonuit Electores, qui conventu Francofurti habito, Rudolphum, Basileam tunc obsidentem, Augustum dicunt, atquè ad capessendum Imperium evocant.

3. Quid Aquisgrani, ubi Imperii insignia receperat, memoratu dignum accidit?

Imperii Proceres in fidem & clientelam susccepturus, petiit, interposito ut jurejurando Ecclesiæ & Imperio ablata restituerent. Cunctātibus nonnihil, sceptrumq; deesse causantibus, Rudolphus acceptam ex ara proxima Christi è cruce pendentis effigiem Principibus ostendens: *En, inquit, signum, quo omnes redempti sumus! En ornamentum pariter, ac fulcimentum regnorum omnium! Hoc ego sceptro jus dicam populis, & hostes Imperii profligabo.* Moxquè crucem deosculatus, cæteros ut idem facerent invitavit, quod uno consensu præstitêre omnes, dicto simul fidelitatis sacramento.

4. Quinam potissimùm Imperatori huic adversabantur?

Inter omnium potentissimos erat Othocarus

rus Bohemiæ Rex, qui Auſtriam, aliasq; Provincias præter jus fasq; occupaverat. Monitus idcirco per Cæſaris Legatos, hos contra jus gentium Pragæ ad urbis portam ſuſpendi juſſit. Juſtis proinde armis appetitus, magnaq; affectus clade pacem, quàm obſtinatè priùs negaverat, ſupplex petiit, in verba Cæſaris jurare paratus, dummodo id palàm omnibus haud fiat, ſed in tentorio. Annuit Rudolphus; tabernaculum tamen ita figi juſſit, ut cortinæ illico demitti quaquaverſum poſſent. Itaquè cùm Othocarus ad Cæſaris pedes ſe provolveret, ſubmotis repentè peripetaſmatis, patuit omnium oculis Othocarus Rudolpho ſupplex: ridentibus Germanis, Bohemis ringentibus.

5. *Quo apparatu Othocarum excepit Rudolphus?*

Monitus à ſuis, Othocarum, ſplendido cum comitatu, & pompa adventantem, majore quoquè apparatu exciperet, reſpondit: ſæpius Othocari purpuram vulgari ſuo veſtitui quõdam illuſiſſe, at nunc illius purpuræ hunc illuſurum. Hinc ſtipatores quoq; & doryphoros nonniſi loricis haſtiſquè inſtructos adſtare voluit, inquiens: *ferrum & arma maximum, propriumquè Germanorum eſſe ornatum.*

6. *Num Othocarus juratam fidem ſervavit?*

Domum reduci imperioſa conjunx hanc tãtam ſubmiſſionem publicamq; ludificationem vehementer exprobravit, nec ante deſtitit, quàm Rex collecto ingenti exercitu Auſtriã

contra

contra fidem datam denuo occupavit; quàm tamen paulò pòst, quatuordecem suorum millibus desideratis, propriaq; vitâ amissâ, Rudolpho cedere coactus est. Hanc is dein Alberto filio clientelæ nomine tradidit, futurã exinde tot Heroum, Regum & Imperatorum matrem, altricemq; fœcundissimam juxtà, ac fortunatissimam.

7. *Quibus præcipuè virtutibus Rudolphus excelluit?*

Insigni prorsus erat pietate erga Deum & Ecclesiam, cujus privilegia vetera rata habuit, & nova adjecit. Virtutem bellicam abunde testantur decem & quatuor prælia, quàm fortiter ipsus iniit, tam feliciter consummavit, *Victoriosi* indè cognomen ex merito adeptus. Eximiâ quoq; prudentiâ, fortitudine & justitiâ misere laceratam Interregni tempore Germaniam in integrum restituit, abolito jure illo injustissimo vindicationis privatæ, seu potiùs latrocinio, quo potentissimus quisquè in aliena bona grassari impunè est ausus. In sola certè Thuringia sexaginta arces, latrociniis hujusmodi infames, intra mensis unius spatium demolitus est. Victu & vestitu vulgari admodum utebatur, solo raparum esu in castris aliquando contentus. Qua frugalitate militum ob annonæ penuriã querelas opportunè sopivit. Siti aliàs urgente, aquam, inopi rustico vi ereptam, bibere renuit, indignum ratus, si cum viri pauperis injuria sitim pelleret. Domesticos suos, hominum plebejorum turbas ab

alloquio

alloquio suo arcentes, suaviter, ut mitis e-
rat ingenii, sic increpuit: *Sinite, quæso, hos ad me venire. Quid enim? num ideo Imperator sum, ut in arca domi conclusus hæream?*

8. Quodnam Eucharisticæ pietatis edidit specimen Rudolphus?

In Habsburgensi sua Dynastia venationi fortè intentus, Sacerdotem obvium habuit, lutosâ viâ Sacrum Viaticum ægroto afferentem, cui equum suum confestim obtulit, secutus ipse pedes ad usquè pauperis ægroti casam; indeq; reversus ad templum, equum recipere noluit, quòd cœli terræquè Dominum portâsset. Huic Eucharisticœ pietati felicitatem suam omnem in acceptis refert Domus Austriaca. Imperavit Rudolphus annos 18. ad A. C. 1291.

107. Adolphus Nassovius.

1. Cur Albertum, Rudolphi filium, non suffecerunt Electores?

Id nè fieret, Gerardus Elector Moguntinus obstitit, qui astu quodam Electores reliquos induxit, ut suo unius arbitrio electionem permitterent. Cùm igitur Alberto Austriaco dudum infensus esset, Adolphum Nassoviæ Comitem cognatione sibi junctum, Imperatorem nominavit. Quod tametsi præter spem omnium & opinionem accidit, Aquisgranum tamẽ deductus, & Imperii insignibus decoratus est.

2. Cur Adolphus aliquot pòst annis ab Imperii gubernaculis est dejectus?

Videbatur Adolphus initio regiminis sui nõ

indi-

indiligenter rem curare publicam, cum sensim assentatorum pessimis consiliis depravatus, non jam Imperium, sed suis duntaxat commodis servire cœpit. Angliæ Regi stipendiariam militiam accepta ingenti pecuniæ vi, pollicitus, fidem fregit, novoq; perfidiæ scelere Thuringiam, quam Landgravius parens cum summa filiorum hæredum injuria venalem proposuit, auro Anglicano emit. Hanc dum hæredes pro jure suo armis vindicare parant, immanitate plùs quàm barbara in obvios quosq; sævitum est. Direpta templa & monasteria, pagi, urbes & oppida incensa, puellæ, matronæ, virgines Deo sacratæ ludibrio habitæ, Adolpho si non jubente, certè connivente. Ob hæc pluraquè alia, Imperatore prorsus indigna, Septemviri, atquè ipse inprimis Moguntinus, electionis illius auctor, Imperium Adolpho abrogârunt, substituto in ejus locum nunc tandem Alberto Rudolphi I. filio.

3. *Cessitne Imperio Adolphus?*

Aut Cæsar futurus, aut nihil, decretorii certaminis aleam subire statuit. Aventani igitur Alberto æmulo suo expedita cum equitum manu occurrit, prælio belli fortunam tentaturus. Jamquè dato pugnæ signo, sex horas ipsas acerrimè dimicatum est, dum tandem Adolphus, accepta lethali plaga, equo ab Alberto dejectus, atquè ab astantibus trucidatus est anno Imperii 7. Christi 1298.

108. Albertus I. Austriacus.

1. Quænam Alberto imperante, rerum in Helvetiâ conversio atquè immutatio?

Cùm à Præfectis suis nimiopere premi se conquererentur indigenæ, grave jugū excutere, sequè in libertatem asserere decreverunt. Hos inter terni paulò animosiores, interposito etiam jurejurando, in fædus ac societatem primùm côiêre anno 1308. In pluribus mox sociis aucti, expulsis aut occisis Præfectis Rempublicam in libertatem, qua hodiequè fruuntur, vindicârunt.

2. Quam mortem Albertus obiit?

Joannes, Alberti ex fratre nepos, periniquo tulit animo, quòd annos licèt undeviginti nato, hæreditarias sibi provincias regendas tradere recusaret Imperator. Igitur conspiratione cum tribus sceleris sociis inita, Albertum incomitatum, nec tale quid suspicatum, Badenam inter & Reinfeldam aggressus, è medio tollit. In ipso patratæ cædis loco nobile dein Monasterium Königsfeldam condidit Imperatrix vidua; occisi verò cadaver Spiræ sepulchro illatum est. Imperavit Albertus annos 10. ad annum Christi 1308. ob insignes animi dotes vita longiore dignissimus.

CAPUT II.

Imperatores Sæculi XIV.

109. Henricus VII. Luxemburgicus.

1. Cur

1. *Cur Æmulo Philippo, Galliæ Regi, præferebatur Henricus?*

Electores diu multumquè hæſitantes utrì deferendum Imperium, admonuit Pontifex, Cæſarem Germanicum, miſſo Galliæ Rege conſeſtim eligerent, nè graviſſimis alioqui turbis agitaretur orbis Chriſtianus. Electus igitur Henricus Comes Luxemburgicus, ad omnia ſumma natus, qui mox in Alberti parricidas condignis ſuppliciis animadvertit.

2. *Quid in Italia præclari geſſit?*

Pontificis hortatu internecinas Guelphorū, & Gibellinorum ſimultates & factiones, quibus annos ferè centum Italia durum in modū lacerabatur, ſopiturus, ingenti cum exercitu illuc contendit, perquè Legatos Pontificis Avenione tunc degentis, Romæ coronatus, cō plura per Italiam bona clientelaria Imperio vindicavit. Redux indè in Germaniam, Bonconventi obiit ex febri maligna, non ex veneno, quod ſacram Synaxin ſumpturo in hoſtia Sacerdotem porrexiſſe nonnulli comminiſcuntur. Imperavit annos 5. ad ann. Chriſti 1313.

110. Ludovicus V. Bavarus, & Fridericus III. Auſtriacus.

1. *Quis ab Henrici VII. obitu Imperii ſtatus?*

Poſt 14 menſium interregnum Electores in binas diſtracti factiones, hi Fridericum Pulchrum Auſtriacum, illi Ludovicum Bavarum Imperatorem renunciant, utrumquè ob dotes, plùs quàm regias ſolio Cæſareo longè digniſ-

ſimum, ſi unum duos ſimul capere potuiſſet Imperatores. Hinc grave & vehemens octo annorum bellum, quòd tandem pugna, haud procul Müldorſſio Bavariæ oppido inita, diremit, victo captoq; Friderico, & in arcem Transnizenſem adducto, ubi triennium detentus, libertatem à mago oblatam, Chriſtiana fortitudine rejeciſſe fertur, rem planè indignā ratus, ſi, ut corpus captivitate eximeret, animam Orci tyranno in ſervitutem traderet. Dimiſſus ex arce, Imperii negotiis porrò tractandis abſtinuit, ſive rerum humanarum faſtidio, ſive metu, nė novis implicaretur turbis. Obiit quadriennio pòſt, anno ab electione ſua 15. à Chriſto nato 1329.

2. *Quid de Schweppermanno memoriâ proditum eſt?*

Cùm poſt difficillimum illud duodecem horarum prœlium, prope Müldorffium commiſſum, præter ova obſonii nihil ad cœnam Imperatori Ducibuſquè ſuppeteret, is ſingulis ſingula; Schvveppermanno verò, qui eo in conflictu eximia virtutis bellicæ dedit ſpecimina, bina porrigi juſſit cum dicto: *Dentur ſingulis ova ſingula, pio Sweppermanno bina.* Qua *ovatione* vir fortiſſimus per omnem vitam gloriatus, hanc ſuo etiam tumulo juſſit incidi.

3. *Unde Papam inter ac Ludovicum tot tantaquè orta diſſidia?*

Exiſtimabat Ludovicus, devicto Friderico æmulo, rebus jam tranquilis pacatiſquè ſe fruiturum, cùm ad Joannem XXII. Pontificem, Ave-

Avenione commorantem, non unius culpæ reus agitur, nominatim quòd Imperii possessione nec ritè, nec majorum more adita, citra Pontificis assensum palàm pro Imperatore se gesserit, filium Septemvirali dignitate auxerit, Ecclesiæ hostes consiliis, opibus, armis juverit. De quibus omnibus tres intra menses, intentato etiam anathematis fulmine, purgare se jussus, Avenionem Legatos misit; qui tamen nìl præter bimestrem dilationem impetrârunt. Interea Ludovicus editâ apologiâ suam testatus innocentiam, ad Papam de rei summa planiùs edocendum, indequè ad Concilium generale appellat. Nihil isthæc moratus Pontifex, Ludovicum, elapso bimestri, sacrorum usu prohibet.

4. *Quo hæc animo tulit Ludovicus?*

Tum pravis aliorum consiliis, tum præcipiti iræ impetu abreptus, in Pontificem jam palàm cœpit insurgere. Indè Romanorum, Joanni adversantium, quòd sedem Avenione Romam transferre recusâsset, invitatu Italiam ingressus, Mediolani ferream, Romæ Imperialem coronam à Cardinali Columnio accepit. Sub hæc convocatis è Gibellina factione Episcopis, post multa in Joannem jacta probra & calumnias, Petrum Corbârium, qui Nicolaum V. se dixit, in sedem Pontificiam intrudendum curat.

5. *Num tanti eum delicti pœnitentia postimodum subit?*

Missis ad Joannem XXII. ejusquè Successo-

res Benedictum XII. & Clementem VI: aliis atquè aliis legatis, & deprecatoribus, anathematis vinculo solvi supplex petiit. Sed preces, toties iteratas, irritas fecêre, tum corrupti consiliarii, tum potentes aliorum, Philippi præsertim Galliarum Regis, obices, quorum nempe intererat, Ludovicum è labyrintho suo emergere non posse.

6. Quis tandem rerum exitus?

Hortante Clemente VI. Electorum pleriq; exauctorato Ludovico Carolum Bohemiæ Regem subrogârunt; cui tamen is uno haud ampliùs anno superstes, apoplexiâ extinctus est, vel veneno, quod dum equestri inter venandum agitatione nequiquam laborabat excutere, superante vi mali in terram effusus, inter luculenta pœnitentiæ signa exspiravit, anno Imperii 33. Christi 1347. Defuncti cadaver Monarchii in Æde principe tumulatum est, excitato multis pòst annis à Maximiliano I. Electore Bavaro visendi planè operis Mausoleo. Id enimverò de suis mereri successoribus jure poterat Imperator hic, cùm ob præclara animi decora (quæ Augusti ejus nominis vindices non ex mendacis famæ commentis, sed autographis literis & tabulariis orbi nota fecêre) tum ob singularem erga Deum, ac Cœlites cœliquè præcipuè Reginam pietatem, cujus vel in sola Bavaria tot penè exstant monumenta, quot Monasteria. Nam præter templum & Asceterium Ettalense longè celebratissimum, alia insuper plura aut condidit, aut perquam munificè dotavit. III.

III. Carolus IV.

1. *Quid causæ fuit, cur Pontifex Electoribus Carolum commendaret?*

Cùm ob multa præclaraq; animi dona, tum quòd ex ephebis vix egressus, jam Dux victorq; gloriosus, Gibellinos, perpetuos Pontificum hostes, armis domuerit, atquè adeò spem haud modicam fecit rei bene gerendæ, si ad Imperii gubernacula admoveretur.

2. *Num Carolo à Ludovici obitu Imperii possessionem adire mox licuit?*

Id quidem speraverat Carolus, qui vivente Ludovico imperandi jure ac potestate consultò abstinuit. Verùm Electores, ii præsertim, qui Ludovico constanter adhæserant, cognito ejus obitu, de novo mox Imperatore legendo deliberant, hancquè dignitatem Angliæ primùm Regi Eduardo, dein Friderico Thutingiæ, Landgravio, & Marchioni Misniæ, ac demum his jure suo cedentibus, Gunthero Comiti Schwarzburgico deferunt, qui suū hoc jus armis aliquamdiu persecutus, veneno, à Medico sibi porrecto, paulatim extinctus est, consentientibus tandem in Caroli electionem Septemviris omnibus.

3. *Qua maximè re de Imperio Romano bene mereri studuit?*

Ut lites & discordias, in Cæsarum præsertim ēlectione oriri solitas, præcideret, in comitiis Norimbergæ 1356. celebratis linguâ latina Diploma vulgavit, abjappenso sigillo Impe-

ratoris aureo *Bullam auream* nuncupatam. Ubi de Imperatoris electione, Septemvirorum prærogativa, ordine, dignitate, causisquè & rebus Imperii gravioribus agitur.

4. *Quænam Imperatoris hujus laudes, ac decora?*

Tantâ erat in Christi Vicarium reverentiâ, ut stratoris etiam Officio functus, Urbanum V. equitem pedes sequi non erubuerit. Pragæ Archiepiscopatum condidit, dotavitquè, & S. Wenceslai honoribus magnificam excitavit Basilicam. Quàm justitiæ amans fuerit, vel indè patet, quòd Pragæ in publico sæpe tribunali considens, omnium querelas audire, omnibusquè jus dicere voluerit. Doctrinâ insuper excelluit, quinquè linguarum, latinæquè apprimè peritus. Literas, virosquè eruditos, quos inter Bartolus Jurisconsultus celeberrimus, & Franciscus Petrarcha, magno semper in pretio habuit. Academiam Pragensem multis ornatam privilegiis fundavit Disputationibus, aliisq; exercitationibus literariis plures sæpe horas interfuit tanta cum voluptate, ut, cùm aliquando de prandii tempore moneretur à suis, responderit: irent ipsi, pranderentquè; sibi namquè pro omnibus epulis certamen hoc literarium sapere.

5. *Quid Imperatori huic potissimùm vitio vertitur?*

Quòd regni Bohemiæ, quàm Imperii amplificandi, ornandiq; studiosior, urbes quasdam, & vectigalia, ad idem Imperium pertinentia ven-

vendiderit; præcipuè verò quòd Wenceslaum filium, cujus mores improbos nescire non potuit, redemptis magna pecuniæ vi Semptemviralibus suffragiis, sibi successorem destinârit. Cæterùm præter morem antecessorum uni Bohemiæ, Carolus ferè affixus hæsit, unde jura dare Imperio consueverat; cùm tamen Imperatores reliqui in itineribus conficiendis multi fuerint, prout varia provinciarum aut necessitas, aut utilitas exigere videbatur. Obiit anno Imperii 32. Christi 1378. Filio Successore sapientissimis monitis instructo; quibus tamen hic insuper habitis, suo potiùs genio est obsecutus.

112. Wenceslaus iners.

1. Ecquem Christianos inter Cæsares hic locum obtinet?

Omnium sanè postremissimum, inter Caligulas potiùs, Nerones, & Heliogabalos collocandus; adeò nihil dignum Christiano Principe gessit, ebrietati, otio, omniquè turpitudini, perpetuò intentus, non homo, sed monstrum hominis. Carnifex perpetuus ejus lateri comes adhærebat, ut è vestigio sanguinaria Domini Imperia exequi posset.

2. Cur S. Joannem Nepomucenum necari jussit?

Joannæ Imperatrici pientissimæ à confessionibus hic erat, à quo expiscari cùm vellet Wenceslaus, qua de re arcano in tribunali se accusaret conjunx, sacerdos Cæsaris impieta-

 tem

tem execratus, tam sibi nefas esse ajebat quicquam, per sacram exomologesin cognitum, evulgare, quàm Cæsari inquirere. Hac responsi libertate ille in rabiem actus, Joannem de ponte Pragensi in Moldavam fluvium præcipitari jussit, cujus viri virtutem Deus prodigiis propè innumeris, hodiequè testatam facit.

3. Qua demum ratione in ordinem est redactus?

Cum ob enormia scelera à Regni Proceribus semel atquè iterum in carcerem detrusus, indequè elapsus, ad ingenium semper rediisset, Septemviri Comitiis Francofurti A. 1400. indictis, exauctorato Wenceslao Fridericum Brunswicensem, & huic, paulò pòst à sicariis interempto, Rupertum Palatinum, Bavariæ Ducem subrogârunt.

4. Num ægrè id tulit Wenceslaus?

Quin potiùs gratulari sibi visus est, quòd qualicunq; jam onere levatus, liberiùs otio, gulæ, libidini vacare dehinc posset. Cumquè Norimbergenses, ut fidelitatis sacramento exsolverentur, decies mille florenos Wenceslao ultrò obtulissent, hinc nonnisi quatuor vini Rhenani plaustra sibi mittere petiit. Vitam tandem sceleratissimè actam pari exitu clausit 1419. cùm à parentis obitu Bohemis annos 41. Imperio 22. non tam præfuisset, quàm ad omnem scelerum licentiam facem prœtulisset.

CAPUT III.

Imperatores Sæculi XV.

113. Rupertus Palatinus, Dux Bavariæ.

1. Quæ ab eodem in Italiam suscepta expeditio?

Vocatus illuc à Bonifacio IX. & Florentinis, ut Galleatio, Italiæ dominatum affectanti, frenos injiceret, sinistro Marte cum eodem conflixit. Quare cùm nihil subsidii ab Italis sperare posset, re infecta in Germaniam rediit, meliorem inibi operam locaturus.

2. Quænam Ruperti laudes?

Princeps erat præclaris omnino animi dotibus instructus, Religionis pacisquè amator, justitiæ custos & vindex egregius, bonisquè literis apprimè favens. Heidelbergæ Academiam, ædemquè Sancti Spiritûs fundavit, uberéq; dotavit proventu, ibidem sepultus A. C. 1410. postquam annos decem Rempublicam bene feliciterquè administravit. Ruperto successorem optaverat Pontifex Sigismundum Hungariæ Regem; sed huic præferebatur Jodocus Moraviæ Marchio, qui cùm mense ab electione sexto obiisset, à plerisquè silentio prætermittitur.

114. Sigismundus.

1. Quid in hujus electione memoratu dignum accidit?

 Cùm

Cùm & ipſe Elector eſſet, ſibimet ſuffragium dedit; nequè enim alium quemquam ſe nôſſe ajebat, qui propenſiore, paratiorequè eſſet animo ad procuranda Imperii emolumenta. Placuit hic animi candor Electoribus cæteris, qui ſummo eum conſenſu Imperatorem proclamârunt. Et erat ſanè Sigiſmundus eo honore digniſſimus, utpote qui ingenii, indoliſquè planè Regiæ præſtantiâ, Religionis ac pietatis ſtudio, ſapientiâ, induſtriâ, patientiâ laborum, munificentiâ, animi magnitudine, aliiſqè eximiis virtutum ornamentis inter coævos Principes longè eminebat, Wenceslao fratri natu majori moribus, ingenio, totaquè vitæ ratione omnino diſſimilis.

2. *Quæ prima præcipuaquè Sigiſmundi cura?*

Ut diuturnum ac perniciosum Eccleſiæ ſchiſma, quo terni ſimul Pontifices in totidem factiones diſtracti, Reges quoquè ac Principes in ſuas quiſquè partes trahebant, penitùs tolleret, non tantùm Legatos quaquaverſùm miſit ad Principes; ſed Galliam, Hiſpaniam, Angliam, Italiam maxima celeritate, & incredibili laborum difficillimorum tolerantiâ ipſos adiit: nec antè quievit, quàm Joannem XXIII. ad Concilium Oecumenicum Conſtantiam, Germaniæ urbem ſitu amœniſſimam, & commodiſſimam convocandum permovit.

3. *Quando, quaquè frequentiâ celebratum hoc Concilium?*

Inchoatum eſt ſolenni ritu die 5. Novembris 1414. & poſt 45. Seſſiones ad exitum

per-

perductum die 22. Aprilis, 1418. Interfuêre præter Joannem XXIII. qui usquè ad cessionem Pontificatûs præsidebat, Patriarchæ 4. Cardinales 29. Archiepiscopi 47. Episcopi 160. (imò aliquamdiu ampliùs treceuti quà Archiepiscopi, quà Episcopi aderant) Antistites, Cœnobiarchæ, Theologi & jurisperiti cõplures Multorum insuper Regum Legati, tres Imperii Electores, cæterorum verò Principum ingens numerus. Imperator pridie Natalis Domini urbem ingressus, dum Sacra illa nocte primum Missæ sacrificium solenni ritu perageret Pontifex, cantavit Sigismundus Evangelium: *Exiit edictum à Cæsare &c.* Indè Concilium non solùm præsantiâ suâ cohonestavit, sed omni insuper ope, consilio, industriâ fortissimè, constantissimequè protexit ac propugnavit, dum tandem electo Martino V. pax Ecclesiæ reddita.

4. *Quid de Joanne Huss, ejusquè discipulo Hieronymo Pragensi Historici meminêre?*

Uterquè à Concilio rogi supplicio est addictus, ob nefariam in propugnanda hæresi pervicaciam. Indè belli incendium calamitosissimum, facem præferente Ziska, Hussitæ Bohemi suscitârunt, quod Sigismundus, copioso militum sanguine tot in præliis fuso restinguere haud potuit, Deo atrocia Bohemiæ ac Germaniæ scelera horribili hæreseos Hussiticæ flagello castigante; quoad tandem rebelles illi, in diversas distracti factiones, legitimo se Domino ultrò subjecêre.

5. Num

5. *Num aut Concilium, aut Sigiſmundus Huſſium ejuſquè aſſeclam condemnando datam fidem publicam violâſſe cenſendi ſunt?*

Impudentiſſima hæc Calumnia eſt, àb Acatholicis vel per grandem inſcitiam, vel potiùs per ſummam malitiam fraudulenter confiĉta, quam Scriptores Catholici evidentibus pridē argumentis ſatis ſuperquè confutârunt.

6. *Quo erga literatos fuit ánimo Sigiſmundus?*

Hos nobilibus illiteratis longè præferendos duxit: nam *Equites*, inquit, *& Nobiles creare poteſt Cæſar; non item Doctos, Doctores, quos Deus & natura ipſa indoctis præſtare voluit*. Adulatores ſummopere deteſtabatur. Hinc aſſentatori cuidam inflictâ alapâ, quærenti, *cur me cædis?* reſpondit: *Cur me mordes?* Imperavit Sigiſmundus annos 27. ad an. Chr: 1437.

115. Albertus II. Auſtriacus.

1. *Qua ſtirpe & proſapia reliqui deinceps Imperatores ſunt orti?*

Omnes dedit inclyta Domus Auſtriaca ex qua ab annis jam ducentis nonaginta, ſerie nunquam interrupta, Imperii ſolium tenent Archiduces Auſtriaci.

2. *Quæ Regna Alberto obvenêre?*

Ad ſumma quæquè formata fuit ætas Alberti tenerior, & ſcientiarum præſidiis apprimè inſtructa. Unde à parentis obitu Auſtriam, & Provincias hæreditarias ætate licèt juvenis, ſenili prudentia gubernavit, quam admiratus Sigiſ-

Sigismundus Cæsar, non alium censebat digniorem, cui filiam suam unicam, Regni Hungarici & Bohemici hæredem desponderet; sæpe dicere solitus: *beata fore regna, quibus talis Princeps imperaret.*

3. Cur delatum sibi Imperium detrectabat?

Nè tot regnis, provinciisquè administrandis impar, nimio sub onere fatisceret. Addunt alii, Albertum, ùt erat Princeps religiosissimus, celebri illo Christi oraculo: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* fuisse deterritum. Ad extremum tamen tum Pontificis & Concilii Basileensis hortatu, tum rogatu Electorum & Hungariæ Procerum, tum importuna suorum interpellatione permotus Imperii gubernacula suscepit.

4. Quem vitæ exitum sortitus est Imperator hic, immortali memoria dignissimus?

Rebus maximis perbrevi tempore confectis, atq; Hussitarum præcipuè asseclis, & fautoribus bello domitis, tum ex Hungaria, pulso indè Turcarum tyranno, redit in Austriam, corripitur dyssenteriæ morbo, qui & nimio solis æstu, & peponum esu auctus, anno Imperii altero, Chr: 1439. incredibili bonorum omnium luctu è vivis eripuit Imperatorem optimum ac pientissimum quo dignus non erat mundus, relicta prole posthuma Ladislao Hungariæ & Bohemiæ hærede.

116. Fridericus IV.

1. Quis Alberto successit?

Fridericus IV. Alberti consanguineus, ex Hierosolymitana peregrinatione redux, concordi Septemvirorum suffragio Imperator electus est. Ladislaum Regni Hungarici & Bohemici hæredem, in tutelam sibi traditum sollicitè educandum curavit. Quod cùm ægrè tulissent Procerum quidam, Ladislai adolescentiâ in rem suam abusuri, Fridericum Neostadiensi in oppido tamdiu obsedêre, quoad is reddito cliente, tutelâ se abdicavit. Quin & in ipsa adeò arce Viennensi cives seditiosi Imperatorem hunc duobus ferè mensibus obsidere sunt ausi, ubi cùm Maximilianus parvulus hordei loco lautius obsonium à matre Imperatrice peteret, hæc illachrymans: *utinam*, inquit, *fili mi, panis nos non deficiat.*

2. Quis Friderico imperante rerum status in Oriente?

Capta à Mahomete II. Constantinopoli, eversum est funditus Græcorum in oriente Imperium, & ad Turcas translatum Anno 1453. Hoc nempe supplicium Græci gravissimis suis sceleribus, & perfidioso ab Ecclesia Romana divortio dudum sibi accersiverunt. Fridericus comitiis Ratisbonæ primùm, dein Francofurti indictis, bellum Turcis parabat inferrer; at Chtistiani Principes mutuis decertare odiis, & rebus quisquè privatis consulere maluerunt, quàm Christi causam tueri.

3. *Cur Fridericum Fabio Cunctatori comparant Scriptores?*

Quia cunctando, bellaquè declinando pacem Imperio reddidit, Europâ reliquâ civilibus & externis undiquè bellis perstrepente; unde & nomen Pacifici obtinuit.

4. *Quæ alia memoratu digna id temporis acciderunt?*

1. Inventa & exculta ingenti literarum bonorum Typographia à Joanne Guttenbergio Germano sub annum 1440. 2. Insulæ Americanæ à Christophoro Columbo Genuensi primùm detectæ 1492. ipsaquè paulò pòst America ab America Vesputio Florentino. 3. Abrogatæ ludicræ hastis velitantium pugnæ, cùm ob crebras cædes, tum ob mutatam bellandi methodum, postea quàm pulvis pyrius & bombardæ sub annum 1380. itidem à Germano quopiam inventæ fuerunt. 4. Lutheri ortus Germaniæ, totiquè Ecclesiæ acerbus, & luctuosus, Friderici tempora funestavit 1483. Obiit hic anno Imperii 53. Chri. 1493. Maximiliano filio annum abhinc octavum Romanorum Rege creato.

117. Maximilianus I.

1. *Quô erga literas ac literatos studio ferebatur?*

Cùm impeditioris primùm linguæ esset, hoc dein vitium arte & industriâ ità emendavit, ut septem omnino linguas non modò calleret perbene, sed expeditè quoquè pronunciare nôsset.

nôſſet. Ut taceam reliquas ſcientias, quibus apprimè erat inſtructus. Unde & literatos impensè fovit, largéque remuneratus eſt.

2. Quodnam periculum in Alpibus Tyrolenſibus adiit Maximilianus Juvenis?

Damarum venationi intentus, in arduæ rupis jugum evaſerat, unde nulla patebat redeundi via. Tertium jam diem ſine cibo potúque inter præcipitia moratus, mortem certam oppetiebatur, cùm tandem allato, prout petierat, Deo Euchariſtico, atque eminus adorato, de repentè hominem conſpicit, qui manu prehenſum per vias ignotas ad ſuos reduxit. Cúmque hic nusquam exinde comparuiſſet, non ex vano creditum eſt, Angelum fuiſſe cœlo miſſum.

3. Qua laude Imperium adminiſtravit?

Non belli minùs, quàm pacis temporibus Imperatorem egit manu ſemper & conſilio promptiſſimum. Contra Gallos, Venetos, Hungaros, Bohemos, Palatinos, Helvetos, Belgas, qui Brugis per menſes aliquot captivum detinuerant, in aciem progreſſus, ea fortitudinis planè heroicæ dedit ſpecimina, ut, ſi non continuò victor, nunquã tamen victus prælio exceſſerit. *Cameræ Imperialis*, ut vocant, judicium Wormatiæ primùm inſtituit, poſtea Ratisbonam, indequè Spiram, ac deniq; Wezlariam translatum. Imperium in decem diviſit Provincias, ſive circulos 1. Auſtriacum. 2. Burgundicum. 3. Rhenanum inferiorem. 4. Saxonicum ſuperiorem. 5. Franconicnm. 6. Bavaricum. 7. Svevicum. 8. Rhe-

Rhenanum superiorem. 9. Westphalicum, 10. Saxonicum inferiorem.

4. *Quibus provinciis aucta est Domus Austriaca, Maximiliano imperante?*

Septendecem Belgii provincias cum Burgundiæ Ducatu Maria, Caroli Audacis filia unica, Maximiliano nupta, dotis loco attulit. Philippus verò, Maximiliani filius, Joannâ Ferdinandi Catholici filiâ matrimonio sibi junctâ, Regnum Hispaniarum dotale accepit. Demum Hungaria quoquè & Bohemia, post nuptias à Ferdinando I. cum Anna Hungariæ Regis filia initas, rediit ad Austriacos. Unde notus ille versiculus: *Bella gerant alii, tu felix Austria nube.*

5. *Quæ Maximiliani virtutes?*

Religione in Deum, amore in populos sibi subjectos, mansuetudine & clementiâ in hostes, in omnes munificentiâ, Superùm, hominùmquè amorem sibi conciliavit. Justitiam tantopere coluit, ut per loca, sontium supplicîis destinata, transiens, dicere sit auditus: *Salve sancta Justitia.*

6. *Quæ Cæsaris hujus ad mortem præparatio?*

Ne mortis memoria ex animo unquam excideret, annis vitæ postremis sandapilam constanter secum circumtulit. Morti proximus, non contentus tabulis inscripsisse, astantibus sibi Principibus: *renunciate*, inquit, *Carolo & Ferdinando nepotibus meis, ut Majorum insistentes vestigiis fidem Catholicam, à Germanis hactenus cultam, adversùs novorum dogmatum auctores secta-*

toresquè etiam cum vitæ periculo defendant. Obiit Anno Imperii 26. Christi 1519.

CAPUT IV.

Imperatores Sæculi XVI.

118. Carolus V.

1. *Quis, quantusquè hic heros?*

Ad Germani hujus Herculis facta heroica recensenda justo sanè volumine opus foret. Natus hic est Gandavi Flandriæ oppido A. C. 1500. ex Philippo Maximiliani filio, quo præcoci morte sublata, decem & quinquè haud amplius annos natus Belgii & Burgundiæ administrationem suscepit. Indè Hispaniarū Rex ac demum anno ætatis undevicesimo, jam tum gerendis rebus maximis maturus, Imperator est salutatus.

2. *Quæ Caroli Expeditiones?*

Victricia signa per totam propè Europam, imò & Africæ, Amæricæ, & Asiæ partem circumtulit. Solimannum ingenti cum exercitu Viennæ armis obsessæ inhiantem solâ adventûs sui famâ fugavit. In Africam cum classe trajiciens Tunetum occupavit, & Muleassem Regno iniquè pulsum restituit. In America decem & octo Reges, duosquè Imperatores subegit. In Europa Hispaniam tumultuantem compescuit, Belgas rebellantes ad obsequium reduxit, Germaniam signis sexies prolatis composuit. Italiam iteratis cladibus domuit, ubi Franciscus Galliæ Rex in Ticinensi prælio captus,

ptus, & in triumphum abductus est: biennio pòst Roma, Borbonio Duce, per vim occupata atquè à milite, magnam partem Lutherano, immanitate plus quàm barbara direpta ac spoliata est: Pontifex ipse Clemens VII. in arce S. Angeli obsessus, & conditionibus durissimis ad deditionem compulsus, inscio & invito Carolò, cui idem Pontifex tribus pòst annis Bononiæ coronam auream imposuit.

3. *Quæ Sectæ Lutheranæ in Germaniâ origo?*

Hæc ex superbia, quæ *initium omnis peccati est*, turpiquè æmulatione & invidia ortum traxit. Cùm enim Leo X. Imperatoris aliorumquè Principum rogatu Indulgentias per orbem Catholicum promulgandas curaret, ut in bellum Turcicum pro sua quisquè facultate & arbitrio stipem conferret, promulgatio hæc demandata est Joanni Tezelio è S. Dominici Familia, ringente Luthero, homine tam superbo, quàm mordaci, & cùm Papam, tum Prædicatores, tum Indulgentias ipsas, quas thesibus publicis impugnaverat, allatrante.

4. *Num homini huic, DEO & Ecclesiæ rebelli, se opposuit Cæsar?*

Cùm illum nec paternis Christi Vicarii monitis, nec minis, pœnisquè ullis Ecclesiasticis emendari, quin potiùs deteriorem ac petulantiorem in dies fieri perspexisset, ex Hispania redux, pestilentes Lutheri libros carnificis manu exuri, inquè Comitiis Wormatiensibus, *tanquam obstinatum Schismaticum, & notorium Hæreticum* toto Imperio proscripsit, sub-

ſcribentibus præter Carolum Imperatorem Electoribus 6, Principibus Eccleſiaſticis 30. Sæcularibus 33. Abbatibus 22. Comitibus & Baronibus 32. Civitatibus Imperialibus 39. Hunc tamen ab Eccleſia, & Imperio proſcriptum, dirîſquè omnibus devotum, Fridericus Saxoniæ Elector in caſtro Wartburgenſi per annum fermè occuluit, lauteque habuit.

5. Quibus adminiculis aucta, & propagata eſt nova hæc Secta?

Tribus potiſſimùm; nam Principibus ſpinguiſſimos Eccleſiarum ac Monaſteriorum proventus, improbis Sacerdotibus ac Cœnobitis uxores, plebi omnem vivendi licentiam permiſit Lutherus, aliamquè prorſus, ac Chriſtus verbo & exemplo præivit, monſtravit viam, *laxiſſimam* nempe, *& ſpatioſiſſimam*, quæ eodem Chriſto teſte *ducit ad perditionem.*

6. Quosnam fructus ex ea doctrinæ novitate Germania decerpſit?

Multò amariſſimos turbas nempe innumeras, ſeditiones, bella cruenta, quæ & excitavit, & fovit Lutheri Secta. Hinc anno 1525. exortum bellum ruſticum, quo gens agreſtis, Münzero concitatore, excuſſo omni jugo, in Chriſtianam ſcilicet libertatem ſe vindicatura, totam latè Germaniam cædibus, incendiis, vaſtationibus depopulata eſt, quoad variis tandem cladibus attriti, centena ampliùs millia occubuêre.

7. Unde proteſtantium Nomen?

Cùm Wormatiæ 1521. Norimbergæ 1523. Ratis-

Ratisbonæ 1524. Spiræ 1526. ac demum 1529. itidem Spiræ auctoritate Cæsarea proscripta fuisset Lutheri doctrina, intercessêre quinquè Imperii Principes, & duæ urbes Imperiales, quibus aliæ postmodùm se adjunxêre, à qua intercessione, seu *protestatione ortum potestantium* nomen.

8. *Quid Confessio Augustana?*

In Comitiis Anno 1530. Augustæ habitis, epitomen Sectæ suæ, in varios distinctum articulos, Imperâtori obtulerunt sectatores Lutheri, quam Confessionem Augustanam dixêre. Fertur illachrymatus fuisse Cæsar funesto ab Ecclesia tot millium secessui cùm epitome illa publicè legeretur.

9. *Undenam fœdus Smalcaldicum, & indè secutum bellum Religiosum originem duxêre?*

Cùm oblatam sibi Confessionem Augstanam probare Cæsar noluisset, congregati Smalcaldiæ in Thuringia Principes Protestantes in fœdus mutuum consensêre, quo tueri Sectam suam pro viribus statuerunt Anno 1545. Brevi pòst ad arma ventum. Ingolstadii tum Cæsareus, tum Protestantium exercitus castra posuit, sed hi nihil moliri ausi. Anno tamen sequente cæsi sunt Mülbergæ in Saxonia, captoquè ibi Friderico Saxone, & Philippo Hasso celerem finem vidit bellum Smalcaldicum, seu Religiosum.

10. *In quem finem indictum fuit Concilium Tridentinum?*

Urgente potissimùm Cæsare coëgit illud Sū-

 mus

mus Pontifex, ut ab Ecclesia universa confutatis Lutheri erroribus, ad veritatis semitam novatores redirent. Hinc invitati quoque ad Concilium Theologi Protestantium, quorum tamen nullus comparuit, cùm & veritatem odissent noctuæ, & Concilium legitimè congregatum esse negarent.

11. *Quid rei famosum illud Interim?*

Divisam Germaniam ad concordiam revocaturus Imperator, quandam Religionis Formulam, salvis tamen Fidei dogmatibus, præscripsit, quam *interim* tenerent omnes, dum à Concilio Oecumenico aliud quid decerneretur. Istam Religionis normam *Interim* dixêre, quòd solùm ad tempus aliquod tenenda proponeretur. Verùm displicuit Catholicis, & Protestantibus, quòd nec Orthodoxa satìs esset, nec libertati admodum faveret.

12. *Quid rei Pactio Passaviensis, & Pax religiosa?*

Maximis incrementis auctam hæresin sopiri vix ampliùs posse existimavit Cæsar. Quare facta Passavii 1552. cum Protestantibus pactione, liberum illis novæ Sectæ exercitium indulsit qûæ concessio *Transactio Passaviensis* vocata est. Confirmata subin 1555. Augustæ in comitiis eadem Transactio *Pacis Religiosæ* nomine est appellata.

13. *Quî tandem vitam, & Imperium finiit Impecator Carolus quintus?*

Biennio antè, quàm è vita discessit, abdicatis Regnis, in Monasterium Sancti Justi recepit sese, DEO, sibiquè victurus deinceps, & animæ

animæ ſalutem curaturus impenſiùs. Paulò ante obitum ſuas ſibimet exequias funebres haberi voluit. Imperavit Ann: 39. obiit Ann: Chr: 1558.

14. Quænam alia notatu digna evenerunt imperante Carolo?

1. Calvinus in Gallia, Zwinglius in Helvetia Sectas recèns procuſas eodem ferè tempore invexêre, quo Lutherus Germaniam deformabat. Anglia quoquè ſub Henrico VIII. ab Eccleſia diſceſſit 1533. 2. Circa naſcentis hæreſeos tempora S. Ignatius è milite ad ſanctitatis ſtudia converſus, Clericorum Regularium familiam, Societatem JESU, inſtituit, quæ hæreſi, & vitiis fortiter obſiſteret.

16. Quibus coloribus adumbrari Lutherus meretur?

Quis fuerit Lutherus, diſce ex ejuſdem præceptore, nempe Dæmone, quo cum ſalis modios complures ſe abſumpſiſſe, Miſſamquè abrogâſſe ob argumenta à Diabolo contra illam ſibi propoſita in diſputatione cum illo habita faſſus eſt. Quare nec illud rejiciendum, quod referunt Scriptores probati, vidiſſe Maximilianum I. Auguſtæ Lutheri adhuc Religioſi humeris dæmonem inſidentem, moxquè ad Nobilem de Aybach ponè adſtantem dixiſſe: hic Monachus in Eccleſia, & Germania ingentes excitabit turbas. Morte non invidenda ſublatus eſt Ann: 1546.

119. Ferdinandus I.

1. Quandonam Hungariæ & Bohemiæ Regna Austriacis cessêre?

Ferdinandus I. Carolo V. fratre adhuc imperante, Ludovici II. Bohemiæ & Hungariæ Regis sororem duxerat, ex quo connubio utrumquè illi regnum obvenit 1526. Hungaricum tamen ob varias turbas seriùs adiit. Regnum hoc geminùm ab eo tempore constanter paruit Austriacis, sed non sine turbis.

2. Quænam gesta Ferdinandi illustriora?

1. Insigni sapientiæ & pietatis fama Imperium administravit, Religionis Orthodoxæ, & literarum apprimè studiosus. 2. Concilii Tridentini sanctiones, in subjectis sibi provinciis, & promulgari, & executioni tradi curavit.

3. Quæ celebrantur ejusdem apophthegmata?

1. Gemmas & Thesauros perdere se malle, ajebat, quàm literas nescire. 2. Aulico cuidam suo venationum Præfecto, & scientiarum hosti disertè asseruit, facilè cariturum se venatorum turbâ universâ; Doctis verò carere se haudquaquam posse. 3. Familiaris hæc illi gnome erat: *Fiat Justitia, nè pereat mundus.* Imperavit Ann: 7. ad 1564.

120. Maximilianus II.

1. Cur in Austria Lutheri dogmata sectandi potestatem aliquibus fecit?

Nimiùm indulgentis clementiæ id fuit, quã jure S. Pius V. datis ad eum literis reprehendit. Plurimùm autem à vero abludunt, qui

Cæ-

Cæsarem ipsum Lutheri addictum fuisse erroribus comminiscuntur.

2. *Quæ in Belgio rerum facta mutatio Imperante Maximiliano?*

Septem Provinciæ, quas Hollandiam vocamus, hæresi multùm infectæ, excusso Hispanorum dominio, in libertatem asseruerunt sese, ac præpotenti Batavorum Reipublicæ paulò post initium dedêre 1579. Obiit Maximilianus Ferdinandi I. filius an: Imp: 12. Chr: 1576. Symb: *DEUS providebit.*

121. Rudolphus II.

1. *Quibus dotibus enituit hic Imperator?*

Patre Maximiliano adhuc superstite electus Romanorum Rex, & mortui in Imperio successor, avitam Religionem egregiè tutatus est, omnesquè Ptincipis optimi partes implevit, vitam cælibem perpetuò sectatus.

2. *Quomodo jacta sub Rudolpho belli Germanici tricennalis semina?*

In Bohemia primò, deinde in Germania quoquè belli feralis quædam initia se prodidêre. Obtinuerant à Rudolpho magna pecuniarum vi Hussitæ Bohemi Diploma Cæsareum (literas Majestatis appellabant) quo potestas illis fiebat Religionem suam liberè profitendi. Hasce verò literas cùm tractu temporis violatas crederent, sub Ferdinando II. in grave bellum res tandem desiit.

3. *Quomodo in Germania gliscere bellum cœpit?*

Protestantes Germani cùm sinistra omnia si-

bi, suæquè Sectæ metuerent à Catholicis, Heilbrunnæ armorum societatem inierunt, quam *Unionis* nomine indigitare placuit. Suum quoquè fœdus illi opposuêre Catholici 1610, Confluentiæ, quod *Ligam* appellârunt. Continuêre se partis utriusquè fœderati usquè ad annũ 1618. quo tandem cruentum bellum accendit hæresis. Imperavit Rudolphus annos 36. ad 1612. Bohemiæ & Hungariæ Regnis in fratrem Mathiam translatis, cui 17. florenorum milliones in ærario reliquit. Symb: *Omnia ex voluntate DEI.*

4. *Qualem Concordiæ librum edidêre Lutherani Rudolpho Imperante?*

In dies magis inter se dissidebant eorum Ministelli circa Sectæ suæ dogmata. Quare conscribi jussit Concordiæ Formulam, seu Librum Augustus Elector Saxoniæ, cui omnes adhererent.

CAPUT V.

Imperatores Sæculi XVII.

122. Mathias.

1. *Quonam eventu memorabile redditum est Mathiæ Imperium?*

Ipso belli tricennalis initio, cui exorta Pragæ seditio prælusit, & occasionem dedit.

2. *Quænam seditionis causa?*

Mathias destitutus hærede, cognato suo Ferdinando Archiduci Bohemiæ, & Hungariæ Regna consignârat, cùm Bohemi Orthodoxi, novi

novi Regis pietate freti Hussitas populares suos ab exercendis Sectæ suæ functionibus prohibere cœperunt variis in locis, unde orta statim seditio.

3. Quid porrò egêre seditiosi?

Literas Majestatis obtentas à Rudolpho proculcari mox clamitant, atquè ad arcem Regiam Pragensem accurrunt, apud Præfectum Regium querelas suas deposituri. Verùm non satìs, ùt existimabant, auditi, & hunc, & duos alios Regis Administros, per arcis fenestras furiosi dejiciunt, nullo eorum per singularem Numinis favorem læso, quamvis bombardas etiam complures in illos seditiosi explosissent. Ulteriùs etiam grassatus est horum furor; pulso enim urbis magistratu, alium substituêre sibi faventem, auctiquè statim maximo insanæ plebeculæ numero, justum exercitum confecêre, datumquè bello initium 1618. Obiit paulò pòst Mathias Ann: Imp: 7. Chr: 1619.

123. Ferdinandus II.

1. Qualenam fuit Imperium Ferdinandi?

Omnino turbulentum, & belli perquàm difficilis motibus perpetuò agitatum, cui sústinendo virtus nisi Ferdinandæa par esse non poterat. Forsan & ista succubuisset oneri, nisi suavissimis illis è Christi in cruce pendentis effigie auditis aliquando vocibus fuisset suffulta: *Ferdinande, te non deseram!*

2. Quô anno cœptum, quóve confectum hoc bellum?

Cœptum est 1618. Imperante Mathia; finitum

tum

tum 1648. Imperante Ferdinando III. cùm Pax Monasteriensis, seu Westphalica successit. Quare belli finem non vidit Ferdinandus II.

3. *Quænam prima fuit hujus belli scena?*

Post seditionem Pragensem Bohemi, rejecto Ferdinando, Fridericum Electorem Palatinũ Regem dixêre. Adfuit illico Cæsarei exercitûs Ductor Maximilianus Bavarus, cæsisquè in monte Albo prope Pragam seditiosorum copiis, insignem victoriam tulit. Depulso quoq; Friderico (quem Regem hyemalem ob exigui temporis Regnum dixêre)| Bohemia Ferdinando reddita est, noxia posthac libertate caritura, & ejecta hæresi orthodoxè creditura.

4. *Qualis altera belli scena?*

Advenit cum exercitu Christianus Daniæ Rex, Friderico Palatino socero suo latum suppetias; junxêre se illi Protestantes, qui abhinc decennio in fœdus conspirârant. At brevi pedem Danus retulit, clade à Cæsareis accepta. Contrà Germaniæ Protestantes magis etiam in furorem acti, quòd Ecclesiarum bona, indè à Passaviensi transactione ablata, restituere illos Cæsar jussisset.

5. *Quî tertiam scenam Sueciæ Rex, Gustavus induxit?*

Adjuturus socios Novatores, & in turbido piscaturus, copias in Germaniam duxit, partaquè prope Lipsiam insigni victoria eos brevì progressus fecit, ut Bohemiâ, Sueviâ, Bavariâ, & Franconiâ mirâ celeritate peragatis, ingentes ubiquè prædas egerit, & urbes quàm plurimas

rimas occupârit. Ingolstadium Bavariæ munimentum obsidione cinxerat Gustavus, cùm ferreo globo percussum amisit equum, in terram ipsemet effusus: in pugna verò ad Lucenam glande plumbea tactus, & equorum calcibus protritus est. 1632.

6. *Quô pietatis opere Suecum prostravisse creditus est Ferdinandus?*

Jubilæum Orbi Catholico pro pacandis Germaniæ tumultibus concesserat Papa, cujus gratiâ densas inter pluvias templa Viennæ Cæsar invisit, pietate eximia, compositis ante pectus manibus, frustrà monentibus Aulicis, ut rhedâ veheretur. Incidit autem tantæ virtutis opus illam ipsam in diem, qua cecidit ad Lucenam Suecus, Cæsaris humilitate tumidam Regis superbiam proculcante.

7. *Quomodo scenam belli quartam Gustavi Belli Duces adornârunt?*

Cæso Rege, variâ Fortunâ pugnârunt, modò victores, modò victi. Nordlingæ verò, Duce Ferdinando III. Cæsaris filio, memorāda clade affecti sunt: Germaniam tamen atrociter devastare, aurum emungere, spoliare Ecclesias, & crudelitatis ubiquè vestigia relinquere non destiterunt. E sola Bavaria minimum sexaginta calicum Sacrorum millia exportâsse feruntur.

8. *Qualisnam Scenæ quintæ facies, Gallo Suecis se adjungente?*

Pragæ cum Principibus Imperii Potestantibus pacem composuerat Cæsar, Gallis & Sue-

cis ab ea seclusis. Hi dudum antea fœdere tacito juncti, aperto nunc etiam Marte unà Cæsarem aggressi sunt, eventu vario, summo Germaniæ totius detrimento. Hæc inter adversa diu probatam Cæsaris longè optimi virtutem Cœlum sibi vindicavit; obiit enim post An: Imp: 17. A. C. 1637.

124. Ferdinandus III.

1. *Quamdiu adhuc tenuit cum Gallo-Suecis ferale bellum?*

Decennio adhuc integro variè pugnatum Germaniæ dudum exhaustæ impensis. Tandē agitari cœpta pacis consilia ultimo ferè belli quinquennio tum Osnabrugæ, tum Monasterii Westphaliæ, armis interea minimè silentibus.

2. *Quibus conditionibus pax deniquè restituta?*

Post tricas inter paciscentes longè difficillimas in hæc tandem præcipuè capita conventum est. 1. Statutum, ut bona quævis Ecclesiastica retinerent Acatholici eo prorsus modo, quo Anno 1624. erant ab iis possessa, quare annum hunc Normalem seu Regulativum dixêre. 2. Ut Calvinianis & Lutheranis liberè profiteri Sectam suam in Germania liceret. 3. Maximiliano Bavaro Superior Palatinatus & Electoralis dignitas adjudicata; Friderici verò Palatini filius inter Electores octavus est nominatus. 4. Gallo, Alsatia Austriaca, & Episcopatus tres, Metensis, Tullensis, & Virodunensis attributi; Sueco verò Pomeraniæ pars, & Episcopatus gemini, Bremen-

sis

ſis & Verdenſis, cedi debuêre, additis inſuper quinquè millionibus, quos Imperii Circuli, dempto Auſtriaco & Bavarico perſoluerent. Marchio Brandeburgicus Archiepiſcopatum Mágdeburgenſem, & Epiſcopatus Halberſtadenſem, ác Mindenſem, in Principatus ſeculares converſos, obtinuit &c.

3. *Quinam Duces præcipui hoc bello copiis præfuere*

Pro Cæſare dimicarunt Maximilianus I. Bavariæ Dux, Comes Tilius, Pappenheimius, Wallenſteimius, Egon Furſtenbergius, Joannes de Werih, Galaſſus, Altringerus, Buquoyus &c. Gallos duxêre Turrenius, Forcius, Guebriantius &c. Suecos verò poſt Regem Guſtavum Weinmarius, Wrangelius, Ochſenſtirnius, Torſtenſonius, Bannierius, Hornius &c.

4. *Quænam Cæſaris geſta memorantur ſancita pace?*

Decem adhuc annis Imperio pacificus præfuit, filiúmquè Ferdinandum IV. Regē interea dici curavit; ſed paulò pòſt morte abreptum, ingenti mœrore tumulo illatum vidit. Alterum igitur Virtutum & Regnorum hæredem reliquit Leopoldum. Imp. Ann. 20. ad 1657.

125. Leopoldus M.

1. *Quinam eventus Imperium Leopoldi memorabile reddiderunt?*

Bella quinquè; Turcica duo, tria verò cum Galliæ Rege Ludovico XIV. geſta.

2. *Qua-*

2. *Qualisnam primi belli Turcici sors fuit?*
Exortum illud est in Transylvania, quam sibi vindicatum ibat Turcarum tyrannus. Armis arma Cæsar opposuit, consertáquè 1664. ad S. Gotthardum celebri pugna, inducias Barbarus petiit, quæ ad ann: 20. concessæ sunt.

3. *Qualenam bellum Turcicum secundum?*
Rebelles Hungari, Duce Tökelio clàm adjuvante Turca, cæsarem aggressi sunt 1672 Aperto dein etiam Marte à Turcis pugnatum, quorum ducenta millia 1683. acri Viennam obsidione cinxêre integro bimestri, maximo Christiani orbis terrore. Tandem Joannes III. Poloniæ Rex, Electores, Bavarus, & Saxo, urbi laboranti validis adductis copiis subvenêre, hostémquè cum Lotharingo Cæsærei exercitûs Archistratego præcipua clade affectum à Viennæ mœnibus repulêre ingenti Christianorum lætitiâ.

4. *Quanam alia gloriosè hoc bello gesta?*
Buda expugnata 1686. Belgradum vero 1688. Duce Maximiliano *II*. Bavaro: Prælia quoquè ad Budam, Mohazium, Salankemenum, & Zentam feliciter conserta &c.

5 *Quis belli exitus?*
In medio victoriarum cursu sancienda pax fuit, Ludovico XIV. Galliarum Rege bello Cæsarem lacessente; unde magna copiarum pars ea Hungaria fuit avocanda Inducias itaquè cum Turcis pactus est Leopoldus Carlowizii 1699. retentâ Transylvania, amisso tamen rursus Belgrado.

6. *Qua*

6. Quæ causa belli Gallici primi?

Conjugem duxerat Ludovicus XIV. Mariam Thereſiam Philippi IV. Hiſpaniarum Regis filiam, quo mortuo ad ſe devolutum Belgium Hiſpanicum per uxorem Ludovicus exiſtimabat; armis igitur adire Belgii poſſeſſionem ſtatuit 1667. Verùm obſtitêre Batavi, Anglis & Suecis juncti. Ulturus injuriam Ludovicus, elapſo quadriennio, ipſoſmet Batavos aggreditur, ab Anglorum ſocietate jam ſejunctos, & eâ quidem victricium armorum fortunâ, ut Hollandiam everſurus omnino videretur. Eodem ferè tempore Rex Lotharingiam, ac Burgundiam occupavit, ut viam ſterneret potentiæ ſuæ ad Rhenum extendendæ.

7. Cur Leopoldus Cæſar Batavis adversùs Gallum adſtitit?

Rogatus primò à Batavis, Reipublicæ ſuæ haud ex vano metuentibus; dein laceſſitus etiam à Gallis, fines Imperii aggreſſis, Cæſar & ſua tueri, & oppreſſos juvare conſtituit. Agitata quidem tantiſper Coloniæ Agrippinæ pacis conſilia, quæ tamen in ventos abiêre, poſtquam Cæſar Guilielmum Fürſtenbergium, Gallo adhærentem, velut Imperii hoſtem, injecta vi, Coloniâ abductum, cuſtodiæ tradiderat, quare læſum fuiſſe jus Gentium Galli querebantur.

8. Qualis huic bello impoſitus finis?

Modum invenit Ludovicus, quo Hiſpanos & Batavos, ab Imperatore divulſos ad pacem ſecum ineundam adduceret. Quare deſtitutus

sociis Leopoldus pacem & ipse amplecti compulsus est 1679. Noviomagensem dixêre, quod Noviomagi in Hollandia Cæsaris & Regis Legati contraxissent Restituti fuêre in integrum Batavi, Rege Burgundiam servante. Lotharingiæ verò Dux carere ditionibus à Gallo ereptis maluit, quàm iniquis conditionibus restitui.

9. Cur post pacem Noviomagensem captum à Gallis Argentoratum, aliæquè Alsatiæ urbes?

Metis, Brisaci, & Vesuntione Tribunalia terna constituerat Ludovicus Galliæ Rex, quas Unionum & Reunionum Cameras indigitabant: Investigare illa jubebantur & judicium ferre, quænam Germaniæ urbes, ditionésve, aut Alsatiæ, aut Lotharingiæ, aut Burgundiæ olim fuissent annexæ, ut eæ omnes Coronæ Gallicæ protinus insererentur. Hinc anno sequente 1681. Alsatiæ quoquè metropolis Argentoratum præter alias urbes subitò à Gallis est occupatum, Cæsare justè quidem, sed incassum conquerente, nec, ob bellum Turcicum, resistere valente. Attigit ergo tandem Gallia metam tot suorum consiliorum ac bellorum, ut à mari dominaretur usquè ad Rhenum simulquè, post captam Argentinam, clavem Imperii haberet, à se pro placito obruendi.

10. Quænam belli Gallicì secundi 1688. causa fuit & occasio?

Gemina fuit: I. Caroli Electoris Palatini sororem

rorem conjugem habebat Dux Aurelianensis, Ludovici XIV. frater: Carolo vitâ functo, hæreditatem adire Gallia nitebatur, Ducissæ Aurelianensi debitam, aliquot urbibus in Palatinatu inferiore occupatis, Germanis sese opponentibus, quòd urbes illæ ad eam hæreditatem nequaquam pertinerent. 2. Cardinalem Fürstenbergium ad Archiepiscopatum Coloniensem deposcebat Canonicorum pars una, Gallo adnitente, repugnante Cæsare. Altera Capituli pars Jòsephum Clementem, Bavariæ Ducem postulavit, probante Roma, & Electū confirmante. Istud injuriâ factum esse contendit Rex Galliæ Ludovicus, moxquè Cæsari, adversùm Turcas in Hungaria felicissimè agenti bellum indixit 1688.

11. Quid memorabile in hoc bello gestum?

In Palatinatu inferiore Ludovicus rerum latè potitus, Franconiam quoquè ac Sueviam duris exactionibus emunxit. Verùm adductis ex Hungaria Germanorum copiis, plures recuperatæ sunt urbes; aliæ, quas inter Spira, Wormatia, Frankentalium &c. barbarè à Gallis incensæ, ac vastatæ sunt. In Belgium subin translata belli sedes, postquam nempe cum Batavis Hispani ad Cæsarem accessissent.

12. Quanam pace finitum hoc bellum?

Riswicensi, cujus sanciendæ necessitas denuo Cæsari est imposita, disjunctis ab illo fœderatis. In eas porrò condictum est pacis conditiones, ut Argentinam, & liberas quondam Alsâtiæ urbes retineret Gallus; redderet verò

Cæſari Briſaccum, & Friburgum, Imperio Philippopolim, & munimentum Kelanum. Lotharingiaquoquè ad Duces ſuos redire eſt juſſa 1697.

13. Quanam tertii belli Gallici cauſa fuit?

Carolo II. Hiſpaniæ Rege Ann: 1700. abſquè liberis vitâ functo, Regnum illud & Imperator, & Rex Galliæ ſibi vindicabat. Leopoldo in Carolum filium jus omne ſuum transferente, Hiſpaniarum Rex proclamatus hic fuit 1703. Viennæ: Contrà Philippus Andegavenſis Regni poſſeſſionem adiit, avo Ludovico eum omnibus viribus adjuvante.

14. Quantis hoc bellum progreſſibus geſtum eſt?

Cæſar miſſo in Italiam exercitu, quò præceſſerânt Galli, Duce Eugenio, urbes bene multas in poteſtatem redegit. Inito ſubin cũ Batavis, Anglis, & quibuſdam Imperii Principibus fœdere ſolemni, in Hiſpanias Carolus trajecit, ubi utramquè fortunam expertus eſt. In Germania exercitus Regis Galliæ Höchſtadii 1704. ab exercitu Anglo-Cæſareo pugnâ decretoriâ ſuperatus eſt, Tallardo cum 12000. Gallorum capto: quâ partâ Victoriâ in Belgium translata eſt belli ſedes, ubi felicibus armis certatum pro Auſtria. Atquè inter hæc Leopoldum Cæſarem, & Religionis ſtudio, & manſuetudine præcipuè nulli ſecundum, vita deſtituit Ann: Imp: 47. C. 1705. Symb: *Conſilio, & Induſtria.*

15. Qua memoranda evenêre Leopoldo imperante?

1. Comitia Ratisbonæ perpetua conſtituta 1663.

1663. 2. Regnum Hungariæ ad Austriacos cū pleno Successionis jure transmittitur, illiusq; Rex inauguratur Josephus I. 1687. 3. Rex Romanorum dicitur Josephus, & Augustæ coronatur 1690. 4. Fridericus Marchio Brandeburgicus Titulum Regis Borussiæ obtinuit 1701. Princeps verò Hanoveranus nonus Elector constituitur 1708. 5. Sæva pestis Viennam populata est 1680 quo eodem anno horridus in cœlo Cometes apparuit.

CAPUT VI.

Sæculum decimum octavum.

126. Josephus.

1. *Qua fortuna sub Josepho pro Monarchia Hispanica decertatum?*

Ad votum omnia fluxêre: recepta in fidem Bavaria, Belgium victoriis emensum, expugnatæ urbes munitissimæ. In Italia Ducatus Mediolanēsis, cū Mantuano, utì & Neapolis, ac Sardiniæ Regna feliciter recuperata. In Hispaniis fida Carolo Regi sola Catalaunia, retineri tamen non potuit.

2. *Quo fato in medio victoriarum cursu interceptus est Josephus Cæsar?*

In ætatis flore morbillis exstinctus est Imperator felix, Magnanimus, ac mira comitate Majestatem temperare assuetus Ann: Imp: 6. Christi 1711. Symb: *Timore & amore.*

127. Carolus VI.

1. *Qua mutata subitò belli facies Carolô ad Imperium vocato?*

Quàm strenuè pro Carolo certârat priùs Anglia, tam remissè ab obitu Josephi rem gessit; quippe verebatur, nè viribus nimiùm augeretur Carolus, si ad Austriam accederet quoquè Hispania. Stitit proin armorum felicem cursum, factaquè à Carolo secessione, pacem cum Gallo-Hispanis composuit Anglia, quàm secuti mox Batavi, Lusitani, aliiquè fœderati.

2. *Quo exitu clausum tandem bellum pertinax?*

Destitutus à sociis Imperator ad pacis consilia verti debuit, Rastadii quidem 1714. compositæ majores controversiæ ab Eugenio & Villarsio, supremis copiarum Ducibus, ac tandem restituta pax, quæ anno insequente firmata est Badenæ in solemni Legatorum conventu ubi difficultates etiam cæteræ, quas prætererant Rastadii, sunt complanatæ. Solus Hispaniæ Rex Philippus paci nec subscripsit ipse, neque cum illo Cæsar tunc est conciliatus.

3. *Qualenam cum Turcis bellum gessit Carolus?*

Venetis Moream, seu Peloponnesum Turcæ eripuerant, cùm ulturus injuriam ReiPublicæ supplicis ac sociæ Imperator in Hungariam exercitum mittit. Gemina insignis parta victoria est Eugenio Duce, prima. ad Petrowaradinum 1716. Secunda ad Belgradum 1717. Urbes quoque nobilissimæ Temeswarinum, & Belgradum expugnatæ cúm Serviæ

Regni-]

Regni tam magna parte Cæsari subjectæ sunt, Biennio absolutum est bellum, quòd in Italiam vocarentur Cæsaris copiæ, adversúm Hispanos pugnaturæ, qui Neapolin & Siciliam recuperaturi advenerant. Sancita igitur pax cum Turcis Passarowizii 1718,

4, *Cur Hispanorum classis in Italiam transmisit?*

Cæsare victorias in Hungaria accumulante, repentè Italiam subiit Hispanorum classis, Neapolin, Siciliam & Sardiniam à Cœsare receptura Verùm profligata, disjecta est navali prœlio ab Anglis, Cœsarem denuo secutis. Siciliam ingressi nihilominus Hispani, parúm profecêre; quippe cedendum illis denique fuit, & Sicilia Cæsari relinquenda.

5. *Quid rei Conventio, seu Tractatus Viennensis?*

Pax est Cæsarem inter & Hispanum Viennæ sancita sine arbitris 1715. postquam nempe maximis sumptibus, casoquè labore Camerraci inter Legatos diu agitatum de pace fuerat. Cessit Imperator suo in Hispanias jure; cessit Hispanus Italiam Cæsari cum Belgio, atquè infœdus mutuum condixêre, ad quod anno proxime sequente Moschorum quoque Imperatrix, & inter Electores plerique accesserunt.

6. *Quid rei tractatus Hanoveranus?*

Fœdus est Hanoveræ sancitum inter Angliæ, Galliæ, ac Borussiæ Reges, cui accesere postmodum Batavi, Dani quoque & Sueci Pax Cæsarem inter, & Hispanum Viennæ composita sine arbitris huic fœderi causam dedit: pupugit enim Angliæ potissimùm Regem, se in-

amicitiam stabilem Caroli & philippi animos coaluisse,

7. *Qualis ad Indos navigatio Auctoritate Cæsaris est instituta?*

Ostendæ erecta commerciorum societas naves ad Indos deinceps missura, & merces indè in Europam advectura. Hanc societatem ringentibus præcipuè Batavis, summo Belgii, & Germaniæ commodo, auctoritate Cæsarea stabilivit Augustissimus, ac privilegiis munivit, 1721.

8. *Quodnam est Symbolum Augustissimi nostri Imperatoris?*

Illud sibi elegit: *Fortitudine & Constantia.* Utramque virtutem, uti & alias omnes Cæsare dignas, inter tot rerum discrimina, bella, negotiaq; gravissima in se expressit verè *MAGNUS CAROLUS VI.* Natus 1. 8bris 1685. Post bella cum Gallis, & fæderatis Hispaniæ Sardiniæq; Regibus pace Imperii & tranquillitate serenata, 1730. post initam cum Oriente in castris ad Belgradum societatem, fide publica stabilitam, pacem ipse & requiem ingremio pacatæ Europæ invenit 1740. Ultimus è stirpe Austriaca, annos plusquam trecentos sceptra imperii sine interruptione tenente, delendus ne magis, an defectione sanguinis spectandus, desiit vivere 20. 8bris. Fortunatus Mensis festiva náscentis beatitate funestissimus amissi Principis jugi dolore, idemq; felicitatis & exitus augurium. Occasione mortis in Octobri Augustissimi ultimi de Domo Austria-

ca

ca Symbolum illud Friderici III. *a. e. i. o. v.* Velim varie explanatũ, nunc à nonnulis non malè intellectum: *Austria erit in Octobri Vidua.*

9. *Quis electus post Carolum VI. Imperator, & cujus Familiæ Claritudine insignitus?*

Principum & Electorum Bavariæ, Carolus Adalbertus, Elector Bavariæ Natus 6. 7bris 1697. Patre Maximiliano Maria, Emmanuele ejus Bavariæ Hærede Ferdinandi Maria, & Adelaidis Henrieltæ filio ex Victore Amadeo Duce Sabaudiæ progenitæ, Matre Theressia Cunegunde Sobieska Joannis III. animi & rerum bellicarum magnitudine clarissimi, & Mariæ Casimiræ præstantissima filiâ Henrici Marchionis d' Arquien, & Franciscæ delabcharte ex Materna Seriè, ex Paterna verò, Jacobi Sobieski Castellani Cracoviæ & Theophilæ de Daniloviciis Palatinidis Russiæ lectissima nepte, quæ lucem aspexit 4. Mart: 1676. Desponsata per Procuratorem Varsaviæ 1694. quater & quinquaginta peracto. annorum curriculô vivis erepta 1730. Electus ad Augustales titulos 24. Januarii 1742. Sub nomine Caroli VII. à Germano suo Archiepiscopo & Electore Coloniensi, (cui, hæc Officii prærogativa, ab Archiepiscopo Moguntino solius hujus solemnitatis causa collata die 12. Febr: ejusdem Anni diademate redimitus.

Quam longiori intervallo circumscriptum illius regimen

Trium Annorum inter bellorum, vicissitudines anno 1745. absumptus 20. Janu: Monachiis

chis Et hic Princeps auſpicio inaugurationis ad ſolium quem ſuſpexerat mensē lætiorem, contracta Imperii gloriâ expertus funeſtiſſimum. Hæredem reliquit Filium unicum Carolum Maximilianum Anno 1729. Filia progenitum unà cum Mâria Antonia, Joſepha Anna, & Joſepha Maria, præſtantiſſimis tribus filiabus.

129. Franciſcus I.

Franciſcus è Familia Principum Lotharingiæ Leopoldi Ducis Lotharingiæ & Elizabethæ, de Principe Philippo d'Orbans prognatæ Filius, Natus 8. Dec: 1708. Ab Anno 1723. ad annum 1729. in Aula Imperatoris Comoratus. Eques aurei velleris 1736. declaratus. Portatis exterorum moribus per Hollandiam Angliam rediit 1732. Viennam. Anno 1736. pactîs Hymenei aſſociavit Mariam Thereſſiam Caroli VI. Filiam natu maximam anno vergente in 1737. Magno Ducatu Hetruriæ potitus eodem anno Vicerex & ſupremus Gubernator Hungariæ, Generaliſſimus Exercituum Romani Imperii ſimul Mareſchallus; denuntiatus Anno 1741. communi regnandi ſorte ad omnia hæreditaria bona, à conſorte ſua cumulatus. Faſces Imperii delati eidem 23 7bris 1745. Coronatus 4. 8bris. Prolem ſuſcepit, Filium unicum Joſephum Benedictum Auguſtum, natum 1741. 13. Martii Filias, Mariam Annam 1728, Mariam Chriſtinam 1742. Mariam Amaliam 1746.

pro-

progenitas. Auſpicātisſimum, præſentis anni feſtiva Chronoſtici incidit poſteritati gloriâ, *SIDUs paCIFICUM eUropæ VotIs eX aUſtrIa orIt Ur.*

OBSERVATIONES Ad partem quartam Hiſtoriæ Imperatorum.

1. *Qualisnam Romani Imperii facies à Rudolpho Habsburgico ad noſtra uſquè tempora?*

Quamvis potentiâ, opibus, & provinciarum numero prima & mediæ Monarchiæ Romanæ tempora multò fuerint ultimis hiſce Sæculis clariora; minora tamen in Eccleſiam, & Rempublicam beneficia contulit poſtrema Imperatorum ſeries, dum pietate ac prudentia opulentiæ ſuperioris defectum compenſavit.

2. *Quid in myſtica Nabuchdonoſoris Statua pedes partim lutei, partim ferrei deſignabant?*

Ultima Romani Imperii tempora notabantur, quibus varia illius membra æquè parùm eſſent conſenſura quàm parùm cohærere poteſt lutum ferro admixtum.

3. *Quantùm Eccleſiæ profuit ſeries Imperatorum ultima indè à Rudolpho Habsburgico?*

Profuit quàm maxime: Italiam enim Eccleſiæ centrum, perditura dudum fuerat Ottomannorum rabies, niſi fræna identidē injeciſſet Cæſarum præſertim Auſtriacorum, fortitudo. Dein hæreſis quoque Germaniam haud dubiè integram depaſtura fuiſſet, niſi Heróés iidem potenter obſtitiſſent.

4.

4. *Quantùm passa Ecclesia fuit ab hæresi ultimis hisce Sæculis?*

Plurimùm sanè in Gallia, Garmania, Dania, Suecia, Polonia, Hungaria & Anglia. Aucta verò maximis incrementis in Asia & America.

5. *Cur permisit Deus Romanorum Imperium variis temporibus concuti adeó, atque etiam immutari?*

1. Ut non glorietur adversús illum omnis caro 2. Hæc rerum omnium humanarum conditio est perpetuó mutari, ut sapere altiora, & firmiora discamus. 3. Utì sæpiús ad fines suos adhibere DEO placuit Regnorum potentiam: itâ quoquè aliás ostendit, eâdem se in exequendis suis consiliis minimé indigere.

6. *Quænam Imperatorum Austriacorum decora precipua & singularia?*

1. Annis propemodúm trecentis continuó tenent Imperiale solium; quod unius Austriæ privilegium est. 2. Austriaci omnes: nullo excepto, virtutum laudibus, claruêre, quod in eo Imperatorum numero antea fuit rarissimum

7. *Cur nonnulli Scriptores hæretici parùm favent Austriacis!*

Quia t lucem oderunt noctuæ, & Principes veré orhodoxos errones Sectarii. Indè haud ægrè conficitur, quid eorum gerris, & ineptis crisibus tribuendum.

8. *Verúmne est, Ferdinandum primum, & Maximilianum II. Luthero fuisse addictos?*

Istud equidem optarent Acatholici, aut credi ab aliis cuperent, uti & Carolum V. Lutheri sectæ esse immortuum, quas malè sartas fabulas rident Catholici.

8.

9. Unde Archiducū in Austriacos derivata compellatio.

A Friderico secundo Imperatore honoris causâ eo titulo sunt exornati

10 *Ubinam modò Circulus Burgundicus?*

Distractâ ab Imperio Burgundiâ pars illus in Belgio Austriaco superest.

11. *Cur Imperatores Teutonicos etiam Romanos appellamus?*

Quód Ecclesiæ Romanæ Defensores sint, ac Tutores Monarcharum quoq; Romanorum Successores.

12. *Quo sensu accipiendum illud Friderici IV. Symbolum a. e. i. o. u.*

Communiter ità exponitur: Austriaci Erunt In Orbe Ultimi, vel Austria Erit In Orbe Ultima.

O. A. M. D. G.



he



